[redacted]

[redacted]

[redacted]

5 LT

Court



[redacted]

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

CONTINENS

DISQUISITIONEM HISTORICO-PHILOSOPHICAM

DE

POENA CARCERIS.

[redacted]

[redacted]

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

CONTINENS

DISQUISITIONEM HISTORICO-PHILOSOPHICAM

DE

POENA CARCERIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

CORNELII PRUYS VAN DER HOEVEN,

MED. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

HENRICUS FRANCISCUS DE COURT,

E PAGO GROOTE-LINDT HOLLANDUS,

AD DIEM XXIX JUNII MDCCCXXXIX, HORA XII—I.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG & SOCIOS.

MDCCCXXXIX.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

[redacted]

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS QUA

DECET REVERENTIA

D. D. D.

Scriptor.

He was sitting upon the ground upon a little straw, in the farthest corner of his dungeon, which was alternately his chair and bed: a little calendar of small sticks were laid at the head, notch'd all over with the dismal days and nights he had passed there — he had one of these little sticks in his hand, and with a rusty nail he was etching another day of misery to add to the heap. As I darken'd the little light he had, he lifted up a hopeless eye towards the door, then cast it down — shook his head, and went on with his work of affliction. I heard his chains upon his legs, as he turned his body to lay his little stick upon the bundle — He gave a deep sigh — I saw the iron enter into his soul, etc.

Sentimental Journey. *the Captive.*

»Gedenkt der gevangenen, alsof gij zelven gevangen waart!"

Hebreën XIII, 3.

»En leid ons niet in verzoeking!"

PROOEMIUM.

Permenso curriculo Academico, ad metam pervenimus, quam superare haesitamus. Nam hac meta superata, vastus coecatis oculis patet campus, per quem via ducit ardua, ad multa diverticula deflectens. Quae via ducit ad alteram metam, quam attingere vix speramus, nisi corroboremur conscientia honeste inceptorum; nisi sustentemur consiliis ab optimis praeceptoribus animo insinuatis; ardore officiorum, quae forsan praestituri sumus, exsequendorum.

[redacted]

Vobis egregiis ducibus hac in via, excellentes viri praeceptores! hic sinceras ex imo pectore gratias agimus, pro benevola amicitia, quam praestare nunquam defatigabamini.

Tibi, Aestumatissime Promotor, quem utrum praeceptorem magis an amicum appellem dubito, sincero animo gratias ago. Constat me nunquam soluturum amicitiae debita.

Vivatis diu et felices! Deus Q. M. vos servet in longum tempus incolumes, in Academiae laudem, in patriae honorem!

Vobis denique, dulces sodales, qui mihi, in peculiari valetudinis conditione versanti toties indubia benevolentiae dedistis documenta, ingratum socium coetuum, scientiarum asyli desiderare nunquam credatis.

Curate ut valeatis, si me valere velitis.

[redacted]

INTRODUCTIO.

Libertatis vocabulum, a multis male intellectum, quum ansam praebeat, ut ea abutantur, non abs re videtur mihi paullulum in explicando ejus sensu subsistere. Bifariam illam intelligendam esse existimo. Libertas necessario opposita cogitari debet momento impulsivo, quod in homine constanti, *liberum arbitrium* vocatur, eique innatum est (quamvis servus nascatur). Fundamentum ejus situm est in abundantia plurium virium psychologicarum. Si una tantum vis mentalis homini inesset, nulla libertas adesset; quia, cum homo obtemperet voluntati divinae, hac superiori voluntate ducitur. Ex hac virium psychologicarum abundantia innumera nascuntur momenta animi, sibi saepe vehementer opposita, (quae nemo, nisi constans homo, conscientiae impulsui obtemperans, constringere et secundum honoris vel virtutis leges ducere potest et ad unum momentum conjungere, quod est *liberum arbitrium*, viam eligens inter bonum aut malum). Libertas igitur est ea vis, quae superans reliqua minora momenta animi, quaque vice ad voluntatem primariam, animo conceptam, foras

ostendendam compellit. Diversa est haec animi libertas in homine libero i. e. illo, qui neque vi aliqua psychologica hostili v. c. furore, insania; neque vi physica v. c. infantia, gravi morbo, senectute retinetur; et in ceteris animantibus ad regnum mineralium, plantarum, animalium pertinentibus, quae superioribus viribus obediunt, scil. secundum sapientem Creatoris divini jussum. In animalibus haec voluntatis exercitio *instinctus* vocatur, scil. singularis ille sensus superior, qui animi humani impulsui est comparandus, et in nonnullis animalibus praecellit, uti in cane, equo, elephante, castore, vulpe, cett. Canis fidelis et equus (1) alimenta recusantes aut dominum custodientes, obtemperant innatae fidelitatis sensui, in hisce animalibus praecipue exculto, etiamsi fami resistant et verberibus; sed nulla est animi pugna, nulla virtus. Libertas vero in homine sita ex animo oritur, ibique pugna existit bonum inter et malum, et sic appellanda erit: *libertas moralis*, quae eligit *bonum morale* inter et *malum morale*, quae demta libertate, non existerent, et hominem ceteris animantibus adaequarent, quae sine pugna, ad hunc vel illum perfectionis gradum, jussu Creatoris, perveniunt. Hominem incitat conscientia honesti et aequi, perversi et inhonesti. Libertas igitur est fons omnis boni et mali. Quando unitas vel harmonia, in ordine morali, disrupta est, libertati tribui hoc debet; sed ipsa praebet medici-

---

(1) De quibus jam PLINIUS dicit: »*fidelissimi ante omnia homini* »*canis et equus.*"

nam, quum libertas, illam concordiam vel concentum interrumpens, ipsa damnum reparare possit. Nisi libertas adfuisset, ordo moralis turbatus non fuisset; si libertas non adfuisset, ordo moralis emendari non potuisset. Demta vel destructa libertate, fons omnis turbationis exsiccatur penitusque exhauritur, sed sic una privamur remedio ad reparationem destinato. Quum ea igitur sit omnis boni aut mali veluti fons, in humana societate, non debet obturari, sed apertus retineri. Simul tamen cavendum, ne exundans, diutius ad damnum inferendum grassetur; quamobrem custodiri debet, donec opportunum temporis momentum venerit, quo possis fontem sibi relinquere, reversum ad priorem statum, ut sic circumjacentes agros reddat feracissimos.

Quo provideamus, ne damni quid vel turbatio inferatur humanae societati morali, necesse est ut huic turbationi occurratur. Quod fit duobus modis:

I. Removendis ab ipsa causa turbae momentis ad actionem noxiam incitantibus.

A. Ut illustranda libertatis notione, noxia repellamus momenta.

Civitatum moderatoribus competit, aut potius ipsi providere possunt, quoad ejus fieri licet, ut tentatio et male agendi illecebrae hominibus, iis subditis, adimantur, ut sic emendari possint eorum animi, nec ordo socialis turbetur.

II. Ut compensentur momenta ad damnum incitantia cum momentis placantibus i. e. aliis remediis, damnum reparantibus.

Hoc remedium pertinet ad justitiae repressivae provinciam, quippe partis justitiae praeventionis (justice de prévoyance, apud LUCAS, système répressif etc.) prioribus non sufficientibus. Nam si minas legibus comprehensas exsequitur, deterrebuntur a delinquendo homines.

Ad I. *Removendis ab ipsa causa cett.* Huc inprimis pertinent remedia, quibus civitatis moderatores utuntur, ad detinendos homines a vitae ratione, animo aut corpori noxia, vel reprimendis vitiorum aut institutionum in civitate, per abusum noxiarum illecebris, uti sunt v. c. alea, ludi, sortes (loterijen). Prohibendis porro iis institutis, quae humanitatem civitatis crescentem reprimerent et contemptui ceterarum moratiorum civitatum exponerent, uti sunt v. c. *piratae*, quamdiu tolerantur in civitate. Imprimis vero tolerando immani *Nigritanorum mercatu.* Verum quum haec ad singulas civitates pertineant, oculos vertamus in generalius malum, quod est *paupertas*, *mendicitas;* malum, gravius quam primo adspectu videri possit. Optime igitur sibi consulet civitas, si egenis civibus opituletur. Quantas illecebras egestas contineat ad delinquendum, ut esurientibus suis et frustra clamitantibus aliquid auxilii afferat egenus, quamque severe aequa Themis in delinquentes diversissimae conditionis et coeca, aequata lance, animadvertat, inter egenum aut locupletem delinquentem, hujus loci non est exemplis illustrare. Huc autem non solum facit legislatio criminalis sed et maxime civilis. Quod jam sensit BONAPARTE dicens : »*Mon seul code civil par sa* »*simplicité*, *a fait plus de bien en France que la masse*

»*de toutes les lois qui m'ont précédé.*" Porro PASTORET lois pénales Tome III, pag. 124. (apud LUCAS op. laud. p. 164) et Tom. I, 17.

Ad. A. *Ut illustranda libertatis notione* cett. Justum, in civitate ordinanda, aequilibrium acquiritur inter singula ejus membra et finem sibi propositum: ut nempe in tuto sint cives eorumque justa libertas, et ut legibus justa tribuatur reverentia. Sic igitur *libertas socialis vel politica* definienda erit: »*potestas faciundi id, quod* »*nemini noceat,*" et insuper haec sententia quovis momento animis civium insinuanda erit: »*sic age, ut libertas tua externa cum libertate externa omnium consistere possit.*" Sic ordinata civitate, et sensu recti et aequi sensim sensimque in civium animis, per legum providentiam, corroborato, omnis falsa libertatis interpretatio adimitur. Ubi vero turbae in civitate infringunt legum vigorem; ubi singulorum commoda sub specie» *libertatis hominis,*" et clamore »*pro patria libertate!*" vincunt antiqua legum monumenta, hic nunquam libertatis notionem probe interpretabitur hominum inconstantia.

Addamus et *libertatis* notionem *homini innatam*, de cujus vi et efficacia in actiones et vitam hominis ordinandam jam supra vidimus.

Haec ita cum BENTHAMO definiri poterit: »*potestas* »*quidlibet male aut recte faciundi, quam leges mode-* »*rantur, sic ut tantum facta innoxia permittant:*" — Addamus: »*facta vero damnosa dissuadeant;*" quum cogitationes et pugnam internam, conscientiam justi et aequi inter et illecebras vitiorum, moderari nequeant.

Videamus nunc de adminiculis, quibus civitatis moderatores, rectam libertatis notionem in civium animos possint introducere. Inprimis huc facit: *institutio populi*, quae ut docta sit, non necesse, imo non optabile erit. Sufficit, si simplex sit et liberalis, non parca, (quoad ejus fieri licet in generosum finem) complectens praesertim artem scribendi, legendi, numerandi; condendis ludis, ubi artificum liberi doceantur has artes; aptis libris edendis, et, ubi hoc non licet, per modum epitomes, cum populo communicandis; ubi artes, ad industriam exercendam demonstrentur, inprimis mathesis, mechanica ars (werktuigkunde) (1). Porro, dignitatis civicae sensu in civium animis excolendo. Qua de re, operae pretium est audire PASTORET: »*voulez-vous avoir moins de crimes, rendez le* »*sort du peuple heureux, élevez son ame à la dignité* »*civique.*" Huc mihi porro duo facere videntur, nempe: I. Privilegium suffragii in Electionibus urbanis et ruralibus ferendi, quod institutum in hac illave civitate morata, plus minusve ad quosvis civium ordines porrectum est.

Notandum, quod v. c. in Republica Boliviana deni cives electorem nominare possint. Quam penitus honor civicus, in plerisque moratioribus civitatibus, animos civium honestorum invaserit, ex eo patet, quod inter graviores poenas, in nonnullis regionibus, degradatio civica, ex delicto vel contraventione oriunda, vel

---

(1) Cf. ad hunc locum SMITH, de la richesse des nations, Tome IV, p. 204.

interdictio juribus civicis, numeretur. Verum hae poenarum minae necessariae non videntur, ubi sensus honesti jam civium animos occupat. II. Institutum judicum juratorum (Jury), (quamvis nonnulli non ita sentiant) quod facunde suadet celeberrimus Americanus legislator, EDWARD LIVINGSTON. BONAPARTE audiatur, quum rationis humanae et virium animi cultum, optimum nuncupet remedium, legislatori oblatum, quo criminibus et delictis occurrat (1). Tantum, e contrario, miseria et ignorantia damni afferunt civitati, ut ansam praebeant ad delinquendum. Quam vera haec sint, docent, quae addidit DUPIN ad tabulam suam: *la France obscure et la France éclairée: »Partout l'immo»ralité augmente avec l'ignorance et la misère.*"

Aeque atque atrociora crimina et delicta rarius perpetrantur in ordinibus civium cultioribus, qui melioris institutionis beneficio gaudere possent, si omnes vellent; sic et melius institutis et educatione emollitis moribus, promovenda a civitatis rectoribus, homines inferiorum ordinum vitare possent illecebras ad malum, rarioraque fierent fortasse atrociora crimina, quae solent in illos cadere, nec ultimum poenarum rigorem experiri cogerentur (2).

Ad II. *Ut compensentur cett.*

---

(1) Memor., Liv. I. 467.

(2) Cf. hac de re, uti et de honore civico, MITTERMAIER, laudatus in opere: Neues Archiv des Criminalrechts, Bnd. IV. pag. 579. Nec non C. LUCAS: Du système pénal et du système répressif, pag. 155-183.

[redacted]

Quemadmodum omnes cives gaudere possunt tutela, qua civitas externam singulorum civium libertatem tuetur, quotiescunque intra terminos moderationis, et inculpati libertatis usus morantur, sic et civitati, quando male intellecta libertatis notione, ea cives abutuntur, jus competit, laesionem alteri civi vel ipsi civitati directe illatam, ulciscendi, et ita simul abusum libertatis moralis et politicae coercendi. Cujus funesta interpretatio, praesertim tempore novarum rerum suscitatarum et turbarum in civitate, (uti jam supra verbo admonuimus) latum campum aperit omnis generis criminibus.

Hoc jus sibi competens, exercet *poenis* scribendis et exsequendis, ne inanibus minis, vilescat legum auctoritas. Omnem vero inutilem acerbitatem et crudelitatem e legibus criminalibus excludi oportet. Nam hae ex antiquo systemate vindictae oriundae sunt, quod sub diversis speciebus, vim suam exercuit, et legibus nonnunquam sanciebatur; imo ex cruenta sanguinis siti, iis obtrudebatur a gente aut popularibus suis, qui hunc cruentum vindictae ardorem non aeque ardenter sentirent, et ex majore animi generositate, offensionem inultam relinquere mallent. Ita vel hodie vix nunc exstinctum videtur systema vindictae privatae (*vendetta*) apud *Corsos*. Muhammedis humana emendatio, *Arabibus* suadens, ut vindictam pecunia redimerent, vix ullos tulit fructus (1). Ita et systema *talionis*, Jure Mosaico sancitum est, quum Deum sum-

(1) Michaëlis. Mos. Recht. Thl. I. s. 134 seqq.

mum custodem juris retributionis dicat (1). Humana summi ceteroquin philosophi, PLATONIS, doctrina de jure, in adagio: *τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ*, rudiorem illum sensum vindictae indigitat, eoque maximopere ab humanissimis praeceptis doctrinae Christianae discrepat. Tunc vindicta privata, lapsu temporis, transiit ad civitatum moderatores, et offensa, singulis civibus, quasi sibi illata considerarunt et vindicarunt. Unde et in monarchia Anglica, criminibus subditorum regia Majestas laesam sese dicit (*felony*). Sic in Germania, aliisque civitatibus mulctae pendebantur olim, sub nomine: *Wehrgeld*, *Friedensgeld* cett. (2).

Laudabili jam exemplo antecesserunt veteres nonnulli philosophi, vindictae hoc systema vehementer improbantes.

Audiamus, hac de re, veterem philosophum Stoicum, SENECAM (3), et CICERONEM (4).

Poenas irrogavisse Romanos, etiam ad delinquentes emendandos, potius quam puniendos, patet, inter alia, ex *lege* 20 *ff. de Poenis*. Addatur AULUS GELLIUS (5), ubi primam poenarum causam appellat: *νουθεσίαν*, *κόλασιν* aut *παραίνεσιν*, conveniens hac in re cum

---

(1) GENESIS cap. 9. v. 5 et 6.
(2) Cf. KLEIN, Ueber die Natur und den Zweck der Strafe.
(3) De Ira II. 31.
(4) De officiis I. 25. » *Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet, neque ad ejus, qui punitur aliquem aut verbis fatigat, sed ad reipublicae utilitatem referri.*"
(5) Noct. Att. Lib. VI. c. 14.

PLATONE in *Gorgia*. Hoc inprimis obtinebat in delictis levioribus, in quae admonitionis et castigationis poena scribebatur; non vero in criminibus capitalibus, ubi principium praevalebat, detinendorum maleficorum atque e civitate tollendorum (1). Hoc mitius poenarum systema vero, convenire videtur civitatibus moratioribus; nam crudelitas in legibus irrogandis saepe provenit ex animorum exasperatione, occasionibus quibusdam extraordinariis spectanda veluti: crudelitate erga captivos, tempore belli factos; in conjuratos, civitatem in magnam calamitatem et angustias adducentes, cett. Nec desunt exempla crudelitatis, saepius inutilis, erga insontes, sed fortunae casu prostratos (2).

Ex praecedentibus remediis, civitati, scribendis et exsequendis poenis, competentibus, palmam tribuerem systemati delinquentium emendationis (3), praecedente

---

(1) Addatur etiam memorabilis locus apud QUINCTILIANUM Inst. Orat. Lib. XII. 1. »*Si nocentes mutari in bonam mentem* »*aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur,* »*salvos esse eos magis e republica est quam puniri.*"

(2) Cf. ad totum hunc locum de BOSCH KEMPER. De indole juris criminalis apud Romanos — cap. II. de poenis.

(3) Non satis deterrere exempla, poenis edita, homines a delinquendo, docet experientia historica. Qua de re audiatur SPANGENBERG »Ueber die sittliche und bürgerliche Besserung »der Verbrecher," pag. 31, ubi dicit: »*Mit ruhigem* »*Blicke würden wir dann auf die grässlichen Strafen* »*des Viertheilens, Verbrennens, Zerreissens durch Pferde* »*u. s. w. zurückbicken können, denn sie hätten denn* »*doch wenigstens* eine *Wohlthat für die Menschheit her-* »*vorgebracht.*". Omnes poenae, publice famam delinquen-

publice instituta eruditione civium inferiorum ordinum. Quantum fieri possit, participentur etiam honorificis in civitate muneribus. Quo principio constituto, sensus dignitatis in civium animis inflammabitur et mores emendabuntur.

In iis igitur civitatibus, ubi talia principia vigent et indoles poenarum multum emollietur, et delinquentibus, laesione jurium alterius aut civitatis, poenâ exsequendâ, reparatâ, in posterum via patebit, ad amissum delinquendo honorem civicum recuperandum; (quamquam duram pugnam cum praejudicata hominum opinione, saepius justa, sustinendam habebit). Quâ viâ, si in posterum ingrediendâ ei interdicitur, exasperatus contemtu civium, ad nova delicta allicietur. Haec itaque mitior poenarum indoles, si in omne poenarum genus introducitur, in quovis genere uberrimos feret fructus. Sic et omni acerbitate et inutili crudelitate *poena carceris* vacante (1), sine dubio,

---

tis afficientes, laedunt multos spectatores, secundum gradum atrocitatis cum iis conjunctae, et denique pessumdant mores populi. VOLTAIRE recte jam dixit: »*punissez, mais utilement.*" Porro MONTESQUIEU: »*dans les états modérés,* »*un bon législateur s'attachera moins à punir les crimes;* »*qu'à les prévenir; il s'appliquera plus à donner des* »*moeurs, qu'à infliger des supplices.*" Cf. et NIEBSTRASZ »in Prooemio poematis »JOHN HOWARD."

(1) Sic juste queritur, in notis ad opus amici, SILVII PELLICONIS: »*le mie prigioni*," MARONCELLI, de inutili severitate, imo crudelitatis specie, qua in perscrutando carcere, et ipsis vestimentis dissuendis, commissarii Austriaci uterentur, dum aegrotans SILVIO, febrili frigore tremens, seminudus adstaret. (Nota 11 ad caput 80 l. l.)

tempore inclusionis praeterlapso, delinquentes emendati, a novis delictis perpetrandis sibi cavebunt, et rursus commendabuntur commiserationi, imo paullatim existimationi civium.

Verum hic, erga reos carcere inclusos, humanitatis sensus, pertinet ad tempora, quibus vivimus, et per longos temporis circuitus excultus est ad talem perfectionem. Nam, si remotiora tempora consideramus, vix ullo longiore intervallo temporis, hic sensus aderat.

Qualis sors captivorum, inde ab antiquissimis temporibus, fuerit, et quemadmodum tractati fuerint, demonstrare est hujus opusculi propositum. Videbimus porro, quid legumlatores de hac tractatione captivorum senserint, et quid in illorum favorem, humaniores principes et civitatum rectores statuerint. Considerabimus, quinam egregii homines hac de re optime meriti, legumlatoribus suaserint, ut hanc sortem probe perpenderent, vel certe ansam praebuerint ad illam emendandam; quodque systema humanitati maxime sit adaptatum, ita ut summum fastigium legum poenalium et unice cum civitatis dignitate conveniens, attingatur.

Qua in re illustranda, hanc viam ingressi sumus, ut ostendamus:

I. Quaenam fuerit poena carceris apud veteres populos, inprimis apud Romanos.

II. Quaenam fuerit poena carceris, inde ab Imperatoribus Christianis usque ad HOWARDUM.

III. Quaenam fuerit poena carceris, inde ab HOWARDO usque ad recentiora tempora, inprimis in patria nostra et America Septentrionali.

[redacted]

EXCURSUS HISTORICO-PHILOSOPHICUS DE POENA CARCERIS, INDE A PRIMIS TEMPORIBUS USQUE AD RECENTIORA TEMPORA.

Carcerum usum jam inde a remotissimis temporibus, inter populos introductum fuisse, non est quod dubitemus. Verum hoc non valet de singulis familiis, libere vagantibus, vel de populis nomadibus, qui legibus certis et definitis non tenebantur, sed de populis in civitates collectis. Cura vero captivorum, carcere comprehensorum, est ulterioris aetatis fructus. Cujus rei antiquitus neque apud Graecos, neque apud Romanos, neque apud Iudaeos exstant vestigia; nisi huc referas remissionem captivorum ad brevem libertatem, tempore Panathenaeorum (1), lectisterniorum, Paschatis, Pentecostes, vel festi tabernaculorum (τὰ

(1) Etiam moris erat apud Athenienses: *διὰ τὴν ἑορτήν*, (festum Bacchanalium) solvi captivos, qui postea rursus in vincula conjiciebantur. Si fugissent, festa ipsa contumeliâ affecisse dicebantur.

Σκηνοπηγία). Religioni Christianae ejusque almae luci, animos populorum placanti, tribuendum est, quod laudabili humanitatis studio ducti, civitatum moderatores curae captivorum incubuerint (1); quodque nonnulli viri principes de illis emendandis cogitaverint, uti patet ex loco QUINCTILIANI (2). Qualis igitur conditio captivorum fuerit apud veteres, infra pedetentim, breviter considerabimus. Hic vero sufficiat indicare praecipuos antiquitatis locos, quibus CICERO, in Verrina V, aut SALLUSTIUS, in describendis Tulliani carceris horroribus, captivorum sortem describunt.

Jam II°. saeculo p. Chr. n. ipse Christianorum inimicus, mordax scil. LUCIANUS, contemptu suo, immortalem ipsorum hac in re meritis praebuit laudem (3); quum referat, Christianos captivos visitare in carceribus, consolari, una cum iis precari, imoque noctem cum iis transigere solitos fuisse; huc atque illuc migrantes, ad piam hanc operam exercendam, neque auro carcerum custodes favorabiles sibi reddere dubitasse. Postea exstitere viri et mulieres, unice huic operae sese voventes, qui *Diaconi*

---

(1) Cf. Prooemium ad Dissertationem Inauguralem, a T. G. SCHADE VAN WESTRUM conscriptam L. B. 1825. » De cura quam » Romani habuerunt carceris et eorum, qui carcere conti- » nerentur."

(2) Inst. Orat. Lib. XII. 1. » *Si nocentes mutari in bonam » mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum con- » ceditur, salvos esse eos magis e republica est, quam » puniri.*"

(3) In Peregrino, Cf. GOTHOFRED. ad tit. Cod. Theodos. de Episc. Eccles. et Cler.

et *Diaconissae* appellabantur; alii, qui alimoniam munditiemque captivorum procurabant, *Parabolani*, per totum imperium Romanum et regiones, in quibus religio Christiana introducta erat. Inde a CONSTANTINI M. tempore, variae leges (de quibus infra) diversorum Imperatorum Christianorum, hortantibus viris egregiis, uti v. c. LIBANIO Sophista (1), de humanitate et captivorum sorte anxie sollicitorum, latae sunt, digneque contenderunt cum decretis Conciliorum ecclesiae R. Catholicae (2). Haec decreta, uti et jus Canonicum, et jus Romanum, ecclesiae jus constituens, effectum in novas legumlationes ostenderunt, et almo lumine, medii aevi tenebras illustrarunt. Eadem carcerum et captivorum cura promota est per Hispaniam, Italiam, omnemque Christianam terram. Perenne sibi, hac in re, exegit monumentum Pater Purpuratus, CARLO BORROMEO, Mediolani Episcopus, sub finem Saeculi XVI, in decretis, a Synodis ibi latis, talem in modum, ut et nunc de hoc argumento consuli mereantur. Commercio inter diversas Europae partes, inprimis Italiam et Franciam inter, paullatim

(1) LIBANIUS in oratione, ad Theodosium M. habita *περὶ τῶν δεσμωτῶν* (apud Gothofr. Op. Juridica Minora).

(2) Uti concilio Aurelianensi: *» qui in carceribus deputantur ab » Archidiacono s. a praeposito Ecclesiae, diebus dominicis » requirantur, ut necessitas vinctorum, secundum prae- » ceptum divinum misericorditer sublevetur, atque a Pon- » tifice instituta fideli et diligenti persona, quae neces- » saria provideat, competens eis victus de domo Ecclesiae » praebeatur."* Can. 20. pag. 1447 Tom. II. concil. edit. HARDUIN.

frequentiore facto, vestigia illius nobilis humanitatis ardoris apparuerunt in Francia, inde a FRANCISCO I. usque ad egregia conamina amabilis VINCENTII A PAULA, (ST. VINCENT DE PAUL) qui antea ipse captivitatem duram expertus in carcere Tunetano, inde liberatus, maximam utilis vitae partem impendit auxiliis ferendis Christianis, in vinculis apud *Mauros* gementibus, aeque atque emendationi et curae damnatorum, in Francia, ad triremes. Mirandum, quod ab hoc inde tempore, cura captivorum et carcerum emendatio quasi sopitae fuerint, donec dignus VINCENTIO A PAULA exstaret successor: magnanimus JOHN HOWARD Anglus (1), qui omne aerumnosae vitae tempus contulit in hunc sublimem finem. Anno 1773, ad dignitatem magistratus, qui *Sheriff* dicitur, evectus, in comitatu Lactodurensi, (Bedfordshire) iter per totam Magnam Britanniam facere statuit, ad carceres explorandos. Mox vero, legem obtulit Parlamento, ad sanitatis captivorum curam promovendam et saeve grassantem febrem carcerariam (*gaol-fever*) prohibendam. Quoque magis magisque assequeretur finem sibi propositum, iter fecit per Franciam, Germaniam, Helvetiam et patriam nostram (2). Cujus investigationis fructus, uti et quos decerpserat in peregrinatione per Hispaniam, Lusitaniam, Italiam, Daniam,

---

(1) De cujus vita et meritis de reorum custodia, latius videbimus Parte II.

(2) Memoirs pag. 276, apud NIERSTRASZ in Prooemio ad poema „JOHN HOWARD.”

Sueciam, Russiam, Poloniam, Turciae partem, collegit in egregio opere: *the state of the Prisons in England and Wales — and an account of some foreign prisons. Warrington* 1777. Notandum, quod egregia HOWARDI conamina concurrerent cum iis praeceptis, quae generosus BECCARIA, humanitatis studio aeque ardenter motus, Ictis et legumlatoribus principibus tradidit in libro: »*dei delitti e delle pene.*" Eo tamen HOWARDI conatus praestabant, quod BECCARIA ejusque discipuli, theoreticam tantum, HOWARDUS vero practicam veritatem docerent. Sic BECCARIA tantum herbam salutarem, HOWARDUS ejus vim et usum indicare poterant, qua medelam possent praebere aegrotantibus civitatum, in re criminali, institutis. Gravissimo etiam vitio haec theoria, Italiam, Franciam et Germaniam penetrans, laborabat eo, quod ad egregiam carcerum emendationem accedere negligeret, quae jam sub finem saeculi XVII[i]. et initio XVIII[i]. in patria nostra et Germania Septentrionali, ut Hamburgi, Bremae, vigebat, imo non attenderet ad egregium opus, admiratione omnis aetatis perdignum, a MARIA THERESIA conditum: carcerem scil. Gandavensem. Nam omnes hae institutiones multa praeclara, quod ad operas, alimoniam, sanitatis captivorum curam, cultum divinum in carcere, continebant. Ita et Anglis honos primum competiit, studium hoc plane novum, hac aetate, instauravisse.

Nam simul cum Anglorum conaminibus, exstitit in America Septentrionali, Philadelphiae, a GUILIELMO PENN conditae, ope pia sectae *Fratrum*, (*Quakers*)

ad quam et HOWARDUS noster pertinebat, societas, ad sublevandam miseriam incarceratorum, cui et nunc praeest venerandus WHITE Episcopus.

Haec societas majorem etiam vim accepit post defectionem Americae Septentrionalis, promovenda mitigatione in pluribus legibus Anglis, severe ibi irrogatis. Maximam verò laudem nacta est egregia sortis captivorum Philadelphiae emendatione, cujus facundus exstat Panegyricus in scriptis comitis LAROCHEFOUCAULD-LIANCOURT. Hoc egregium institutum, quum ejus fama in Europam perveniret, aucto delinquentium numero, superante spatium, quod secundum novum hoc systema separationis et occupatione operis captivorum requirebatur; gratiâ, nimis frequenter delinquentibus concessa, aliisque abusus generibus vacillare et retrocedere coepit. Quare vehementer desiderabatur emendatio, quam et egregius ROBERT VAUX et celeberrimus Ictus, EDWARD LIVINGSTON attulerunt. Ita, systemate Anglorum duce, nova exstitit societas Bostoni. Codice legum Livingstoniano in usum Louisianae, aliisque operibus confectis, duo systemata simul eaque diversissima exstiterunt: Novi-Eboraci et Philadelphiae. Quorum primi, formam pyxidum gerentis, (*nach dem Schachtelplane*) ita in opere JULII (1) appellati, Novi-Eboraci factum est periculum. Multa in eandem formam aedificia, diversis locis, aedificata sunt (de quibus paullo amplius, Parte III.). Pauciora vero secundum systema Philadelphense. Properemus

(1) Vorlesungen über Gefängnisskunde.

vero ad HOWARDI conamina in Europa eorumque effectus, relictis hisce de America Septentrionali ambagibus.

Repletis omnibus carceribus in Anglia maleficis, post turbas, in America exortas, (quo Angli solebant nonnunquam maleficos transportare) HOWARDO reduce facto, ex primo per Europam itinere, anno 1779, suadente egregio Icto BLACKSTONE, Parlamentum primam legem promulgavit de emendanda sorte captivorum; quo facto, HOWARDUS et amicus ejus, summus medicus Dr. FOTHERGILL, e societate *fratrum*, et WHALLEY praepositi fuerunt novis carceribus condendis. Dissidiis vero exortis, neque hi, neque ii, qui successerunt, efficere poterant, ut haec lex effectum sortiretur. Unicum hujusmodi aedificium, Claudiis-Castris (Glocester), 1791 conditum, patuit incarcerandis. Tanta cum sagacitate, in exsequendis propositis, versatus est, qui huic carceri praepositus erat, Parlamenti membrum, PAUL, ut 1819, quum per 27 annos stetisset, coram Parlamenti parte, testari posset, hoc institutum conditorum spem egregie superasse, seque, experientia duce, observasse, ut benigna, verum simul arcta custodia, secundum leges latas, sufficeret ad conservandam securitatem, et praepositorum, in carcere, auctoritatem (postea in hunc carcerem Claudiis-Castrensem introductae sunt rotae, pedibus calcandae (Treadmill) et continebat 200 ferme captivos, in 10 classes partitos.) Dolendum, quod tam egregia exempla, conjuncta cum salutaribus legibus, (uti 1773, quum per totam Angliam verbi

divini doctores in carceribus instituerentur; 1774, ad captivos ab horrenda febre carceraria liberandos (1); pluribus aliis) a Parlamento latis, paucos tantum ferrent fructus. Nam ab hoc inde tempore, quasi sopita est in Anglia, carcerum emendatio, ita, ut et BENTHAMI »*Panoptikon*," perverse in carcere Edinburgensi adhibitum, huic stationi vix succurrere posset. Haec omnia effecerunt, ut, post HOWARDI intempestivam humanitati crescenti mortem, capitalium criminum rei, inter se mixti, minoribus saltem sumtibus, in navibus longis (2) servari solerent, aut transportari ad colonias in Nova Hollandia (Angl. Nova Cambria Meridionali (3)). Ita sese res habuit, donec SAMUEL ROMILLY, vir strenuissimus, conaminibus ad mitigandas nimis severas leges poenales, et BUXTON, egregio opusculo, saepius typis repetito 1818, de quaestione: »*utrum crimina et miseria institutis hodiernis de carceris custodia promoverentur an prohiberentur*," una

(1) Cujus furoris et funestae vis plurima exempla recenset HOWARD in op. l. capite, cui inscribitur: *general view of distress in Prisons*. Pag. 16—20.

(2) Quae dicebantur *Hulks*, cf. HOWARDI vita ab AIKINO descripta, et op. HOWARDI l. cap. *Hulks on the Thames*, pag. 112 seqq.

(3) Ex novissimis nuntiis de coloniarum Anglorum statu, in N. Hollandia, patet: deportatos, ad libertatem restitutos (Emancipates), Sidneyi, plerumque ad magnam probitatem, poenarum miserias perpessos, pervenisse. — CUNNINGHAMO teste, mercator Sidneyensis praestat mercatori Londinensi probitate. Cujus rei fundamentum in eo est quaerendum, quod talis *Emancipati* intersit vitam immaculatam agere, nec peregrinos decipere.

cum iis, quae praestitit egregius JACOB NEILD, Londinensis, faber aurarius, Parlamento auctores fierent, ut carcerem *Millbank*, prope Londinum, splendide conderent, verum non absque vituperatione. Praestabat in hocce aedificio, custodia instituta, nitens disciplina morali et religiosa, occupatione, partitione in classes, separatione nocturna, arctâ observatione, omnia uno oculorum obtutu complectenti, modo architecturae circulari, cum Praefecti aedibus, mediis in circumjacentibus captivorum cellulis (1). Majore etiam cum vigore tractatae sunt sequentes carcerum emendationes, eo efficaciores, quod publicam sollicitudinem hac in re excitarent. Nam 1817 condita est Londini vasta societas ad captivos emendandos, imprimis delinquentes juvenes, quibuscum se conjunxerunt congregationes virorum excellentium, Menapiae (Dublin) aut mulierum, sexus decorum, veneranda ELISABETHA FRY sive FREY duce (2). Ab hoc

---

(1) Cf. JULIUS op. laud.

(2) Haec mulier egregia, ex Normandia oriunda, e societate *Fratrum* (*Quakers*), jam primo vitae tempore, dum in domo paterna habitabat, miserandae sorti captivorum emendandae generosos adhibuit conatus, condendo domi ludo, 80 pauperum juvenum capace. Maritus, cui nupserat, 1800, FREY, eodem humanitatis ardore inflammatus, omnibus modis auxiliabatur piae huic operae. Maximam laudem vero meretur propter egregiam perseverantiam, dulce humanitatis studium, quae ostendit, mutando horrendum carcerem *Newgate* in domicilium laboriosae occupationis, pietatis. Ea duce, exstitit etiam 24 mulierum e secta *fratrum*, societas, unice captivis emendandis occupata, quae egregia etiam hodie operari non defatigatur.

inde tempore, dignissimae hae societates, quas socii uti: HOARE, BUXTON, WILLIAM ALLEN, GARNEY, BEDFORD, CRAWFORD, WESTERN, HOLFORD, BENNET, VENNING (1), et PETRUS CUNNINGHAM, in Anglia egregie illustrarunt, non solum vim et effectum habuerunt in totam Magnam Britanniam, sed et per narrationes peregrinorum, Angliam visitantium, per totum orbem terrarum distensae sunt, quia inprimis operam dabant neglectae hucusque parti scientiae carcerariae scil. architecturae carcerum. Nam 1819, hae societates commendaverunt formam architecturae circularem, (German. *der Kreisplan*) ad cujus normam egregius carcer Gandavensis exstructus erat et innumeri alii; anno sequente, formam radiorum (Germ. *der Strahlenplan*) adhibuit, in exstruendis carceribus, ab architecto GEORGE AINSLIE inventam. Haec architecturae forma (2) omnes priores superare videtur, quia VI praecipua perfecti carceris requisita complectitur.

I. *Securitatem.* Captivi manent sub arcta custodia, carentes, quoad ejus fieri licet, omni nocendi occasione.

---

(1) Quocum egregius princeps Russicus GALITZIN, cultus divini administrationi praepositus (minister van eeredienst) conjunxit humana conamina, post editum *Ukàs* de minuendo pondere pedicarum masculis condemnatis, et plane ab iis liberandis mulieribus incarceratis; eique in Russia omnia visitandi fecit copiam.

(2) Usitata est in plerisque Angliae carceribus et in carcere Genevensi — cf. tabulae typis excusae, pertinentes ad opus E. DUCPÉTIAUX »*des progrès — de la reforme pénitentiaire*" etc. Tabula X^a.

II. *Sanitatis curam* (1). Captivis conceditur, sese, certis temporibus, sub divo movere, ut salutarem spirent auram vitalem et torpida membra motione corroborent. Prospicitur porro aptis vestimentis, alimoniae, munditiei. — Item aegrotantibus captivis (2).

III. *Observationem*, omnia unico oculorum obtutu complectentem, quam haec architecturae forma consequitur, constructis aedibus praefecti carceris in medio, unde veluti ex observatorio, omnes carceres in giro, forma radiorum dispositos, conspicit, distantes circa 15-20 pedes ab observatorio. Simul oculis complectitur vastas areas, ob deambulandum captivis de-

---

(1) In HOWARDI op. l. instrumentum describitur, saluberrimi effectus, quod invenit Dr. HALES in Anglia, nomine: *Ventilator*, quod manu regi ducique potest, ad aërem, praecipue in carcere, nosocomiis, aliis locis, renovandum, ubi hoc difficilius obtineri potest. Hoc instrumento saepius febrem carcerariam impugnavit Hales.

(2) Haec aegrotantium cura, in nonnullis carceribus, multis cum ambagibus (uti in carcere: la Bastille) item cum duritatis specie concedebatur. Exemplnm satis saevum refert, hac de re, in carcere Spielbergensi, SILVIO PELLICO, op. l. cap. 87, de amico MARONCELLI, cui pes, in ipso carcere, amputatus est.

Egregie porro prospiceretur forsan sanitati captivorum, condendis carceribus extra urbium ambitum. Aura vitalis purior, uti et adspectus naturae, effectum habere posset in emendationem psychicam delinquentium, cf. Courrier Français Août 1820. »*Si la jouissance d'un air pur et des* »*rayons du soleil, l'aspect des beautés de la nature et* »*le mouvement sur une espace de quelque étendue ont* »*une influence salutaire sur la santé, ils ne doivent pas* »*en avoir moindre sur le moral.*" Quem effectum etiam legumlatores Americanos sensisse, parte III videbimus.

stinatas, (Spazierhöfe, Promenoirs, wandelplaatsen) quemque radium a cunctis separantes.

IV. *Partitionem in classes*, non solum sexu separato, sed etiam secundum aetatem; unicam vel repetitam delicti, ob quod poenam carceris luit captivus, vicem; delicti naturam; et denique secundum modum, quo se gerunt captivi (1). Verum, hac in re, difficillimum est, generales statuere regulas. Multa incumbent praefecto carceris ejusque humanae sagacitati.

V. *Operas et occupationem*, ad indolentiam prohibendam, simul ut etiam sumtus, in favorem captivorum, a civitate facti, compensentur, et ut proveniant captivis ex operis praestitis, pecuniae, detractis iis, quae civitati competunt ex operis captivorum, emolumentis, secundum progredientem illorum morum emendationem et promotionem ex una in alteram classem, quibus, elapso tempore detentionis, sese sustentare poterunt, et ex artificio, quo in carcere exercebantur, lucrari poterunt alimenta, quot concedat civium humanitas, generose discedentium a communi opinione praejudicata, saepius justa, captivos

(1) Zeller proposuit aliam in classes repartitionem, quam vocat: *Beobachtungs- Bewährclasse und Vorbereitungs- oder Besserungsclasse*. Audiatur etiam Voltaire (sur politique et législation). »*Il ne serait ni dispendieux, ni* »*difficile d'employer les criminels d'une manière utile,* »*pourvu qu'on ne les rassembldt point en grand nombre* »*dans un même lieu.*" Cf. etiam Report from the committee of the society for the improvement of juvenile offenders. 1818, pag. 18.

liberatos usque premente et praecipuo gravamine in aestimatione civium.

VI. *Eruditionem*, ope religionis, simul mores emendantis, et reum, poenae servum, abarcentis a novis delictis; institutionem in artibus mechanicis, qua possit consequi adminicula ad vitam in posterum honestius agendam.

Hac architecturae forma optime providetur emendationi captivorum, in permultis Magnae Britanniae carceribus, et in carcere Genevensi, quâ generatim carent ceterae Europae partes. Addenda videntur praecipua requisita, quibus, simul cum emendatione, poenam captivorum consequi possimus.

I. *Solitudine*, qua vivere debet reus, in carcerem intrans; item praviores et corrupti, diversis anni temporibus et diebus dominicis, post exercitationes religiosas et tempore, liberationem brevi praecedente. Quo facto, reus melius ad sui ipsius pravitatis conscientiam perveniet, et ab externis vitiorum illecebris liberatus, optime surgentem ad malum invitationem impugnabit (1). Discrepat vero haec solitudinis spe-

(1) Nimia vero vel absoluta solitudo, non interrupta personis, captivum visitantibus, noxium quoque habet illud, quod vel melioris indolis captivi, sibi relicti, nonnullis temporibus vincantur surgente melancholia. Cogitationes aliquando animo volvuntur, sese a miserabili vitae conditione morte liberare. Contra quod periculum monet celeberrimus SILVIO PELLICO, vir constans et praestantia religionis Christianae, hanc arbitrariam vitae demtionem vetantis, penitus imbutus, idem de se ipso testatus, op. l. cap. 84 et MARONCELLI, nota ad cap. 48.

cies ab ea, quae pro poena ad certum tempus, cum exigua alimonia, aqua et pane tantum consistente (1), adhibetur, et a diutino carcere et diutinis operis.

II. *Silentio*, stricte servato, durante tempore communis laboris, (quod minus corruptis captivis, pro tempore remittat carceris Praefectus pro remuneratione morum emendatorum (2)), ut sic nocturna solitudo interdiu continuetur.

II. *Inventis molis vel rotis*, pedibus calcandis, (Steppingmill, Treadmill, moulin à marche-de discipline, Tretmühle, Tretrad, traprad) (3) in usum

---

(1) Audiatur hac de re VON ARNIM, cancellarius Osnabrugensis, (in libro: altes Archiv des Criminalrechts, Thl. II, S. 2, Abhandl. 3, pag. 56, laudatus) qui proponit, ut leviorum criminum rei, pro breviore inclusione in ergastulo, certa dierum dominicarum serie, includantur in carcere solitario, nutriti tantum aqua pura et pane.

(2) Neque sine effectu forsan esset remuneratio pecuniaria, illis captivis donata, qui diligentiam haud remissam et mores emendatos indubios ostendunt. Neque noceret, ut hae remunerationes deponerentur in arcam quamdam publicam, oeconomiae causa constitutam, (Spaarbank) donec captivi, relicto carcere, ad civium societatem revertantur.

(3) Est instrumentum, quod invenit Mr. CUBITT, Suffolciensis, ad occupandos reos et sanam corporis motionem, inprimis tempore hiemali salutarem. Est mola, constans una vel pluribus rotis, formam cylindri gerentibus, diametri 5 pedum. Praedita est mola ligneis gradibus, intra rotae latera, latitudinis 20-25 pedum. Malefici ordinatim adscendunt gradus, intra rotam, quae per illorum pondus, reliquas circumagit rotas, dentibus praeditas, qui incidentes in dentes alternos reliquarum rotarum, totam machinam movent. Malefici porro sese sustinent fulciminibus, et sic adservant

reorum, pro brevi tempore inclusorum, erronum, mendicorum delinquentium, quibus carcer videtur benigna mansio, tempore frigoris hiemalis. Item optime convenientes reis, pro longo temporis tractu inclusis, medico antea corporis aptitudinem examinante.

Nec opus est tempore, institutionem in artificiis ipsis praecedente, (leertijd) quod summi emolumenti est in reis, pro tempore inclusis. Accedit, quod haec reorum occupatio perfecte adaptari possit ad quamvis partitionem in classes, et conjungi cum alia vi motrice, veluti cum aqua, aëre, vapore, ad quodlibet artificium sublevandum.

IV. *Solennitatibus*, praecipue religiosis, in introitu aut egressu captivorum e carcere.

V. *Majoribus honoribus* et stipendiis, publice solvendis praepositis carcerum et custodibus inferioribus, quo mederi possit abusui custodum-redemtorum alimentorum, captivis distribuendorum. Praefecti carceris munus prudenter tantum, pro remuneratione, militibus veteranis emeritis (uti in nonnullis carceribus usuvenit) concedendum erit. Inprimis vero, sic prudenter lectis viris ad hoc munus aptis, rei liberabuntur ab atrocitate arbitraria custodum et Praefectorum carceris, (cujus rei horrenda exempla refert historia in cus-

---

positionem verticalem. Haec machina, quali utuntur in Anglia ad fruges pinsendos, aquae haustum cett., cum veterum *pistrino* aliquam videtur habere similitudinem. In carcere Novi-Eboraci tam latae inveniuntur rotae, ut 16 malefici simul, uno ordine, adscendere possint.

todibus carceris: la Bastille) (1). Stipendiis largius concessis custodibus masculis virorum et custodibus femineis mulierum, unice turpitudines impugnari possunt, quas custodibus, potestate abutentibus, praebent incarceratae, corporis forma aut ingenii astutia praeditae.

VI. *Constitutis in quoque carcere ministris cultus divini, huic operae unice vacantibus, et ludimagistris,* quorum ille habitet in ipsis carceris aedibus, (ut hodie in nonnullis carceribus usuvenit) et tempus, non intermissum cura parochiae urbanae aut ruralis, totum impendat captivorum emendationi, communicando cum iis religionis solamine (2). Non sufficiant exercitatio-

---

(1) Nam haec maximum saepe affert damnum. Paullatim enim animum captivi invadit sui ipsius contemptus et odium erga homines. Humana vero tractatione ad gratum erga homines animum adducitur. Persuasum ei fieri debet, homines non injuste erga ipsum agere, sed sese justam delicti poenam subire. Ubi vana saepius est vis, omnia egregia operatur misericordia. Propositum ergo omnes reorum custodes hoc exsequi oportet: humanitatem, animi emendationem operaturam curae traditorum (cf. NIERSTRASZ, in Prooem. ad poëma »JOHN HOWARD"). Nonnunqnam etiam respicitur, in eligendis custodibus inferioribus, potius ad robur physicum (quod autem in aedibus, furiosis rabiis destinatis, necessarium esse potest, imo saepius requiritur) quam ad animi mansuetudinem, quae tanta operatur iu captivis minus corruptis. Rudi vero tractatione, captivi alioquin mansueti, nonnunquam exasperantur, idque maxime nocet illorum emendationi. Veterani delinquentes, aeque viribus physicis pollentes, magis obstinati fiunt.

(2) Cui rei egregie prospexisse regimen Austriacum in carcere ceteroquin durissimo *Spielbergensi*, testatur SILVIO PELLICO, in op. l., cuique eximias tribuit laudes.

nes religiosae, diebus dominicis, et hora matutina vespertinaque, sed colloquatur cum iis reis verbi divini minister, qui apti sunt ad talium rerum captum, audiat illorum gemitus et sollicitudines, quam possit, saepissime. Nec tantum ad minus culpandos noxios extendat sese humana cura, neque hos solos participes faciat solationis religionis Christianae, sed et duriores veteranorum maleficorum animos emollire studeat, quando v. gr. tempore gravis morbi vel supremo vitae tempore angore vel tristitia afficiuntur (1).

VII. Reorum custodia, quum sit res maximi momenti civitatibus moratioribus, et praecipuas laudes, etiam ex hoc egregio instituto, apud ceteras gentes omnesque humanitatis fautores consequi possint, operae pretium erit, ut in iis civitatibus, reorum emendatio et carcerum architectura cum ceteris requisitis: alimonia, operis, solitudine in carcere, partitione in classes, diligentiam et conscientiam male institutae prioris vitae efficaciter promoventes, cett. peculiari instituto, vel societati cuidam publice commendetur, aut egregio humanitatis studio, ultro ab excellentibus viris et mulieribus suscipiatur, qualibus jam *patria nostra*, *Anglia*, *America Septentrionalis*, *Francia*, *Germania*, *Russia*, *Geneva*, *Belgium*, aliae regiones, eximio praecesserunt exemplo. Publice constituantur commissarii, vel praefecti superiores (Inspecteurs) qui

---

(1) Effectum satis efficacem haberet forsan *sacrae coenae administratio*, vel *estremae unctionis consolatio* in captivis, diverso religionis cultu utentibus.

visitent, statuto tempore, carceres, audiantque ab una parte carcerum praepositos et custodes; ab altera parte querelas detentorum, et remedia civitatum rectoribus indicent, ad abusus prohibendos, et institutionem internam carcerum emendandam.

Ab hoc inde tempore, tales societates non solum in *Anglia* exstiterunt, sed etiam in *Russia*, *Hibernia* (1819); in *Francia* (1820); in *patria nostra* (1823); in *America Septentrionali*, *Bostoni* (1826); *Rhenana-Questphalica*, sedem habens *Dusseldorphii* (1); in *Borussia-Orientali* (1828); in *Vimaria*, *Wurtemberga*, *Badena*, *Nassavia* (praecipue *Eberbachii* et *Dietae*, (*Dietz*) duce LINDPAINTNER). Qua in regione, parum longi circuitus, inter 400 incolas invenies 1 captivos curantis societatis participem.

Varias relationes et observationes hae societates de statu carcerum deque cura iis inclusorum, jam plures typis mandari et cum omnibus civitatibus moratioribus communicari curaverunt. Nonnulli viri docti, egregii, huic rei operam cum ardore impensam scriptis mandarunt, inter quos, praeter HOWARDUM jam citatum, praecipuum locum obtinent: LUCAS, SPANGENBERG, JULIUS, *scriptores de re carceraria in libro: Archiv des Criminalrechts* laudati, ZELLER, RISTELHUEBER, VILLERMÉ, BÉRENGER, Comes LABORDE, JOUY, LAROCHEFOUCAULD-LIANCOURT, DUCPÉTIAUX, BEAUMONT et TOCQUEVILLE, LIVINGSTON, summus Ictus, BUXTON,

(1) De qua cf. FLIEDNER, *Collectenreise nach England und Holland* cett. Tom I, pag. 362 seqq.

HOLSTIUS in *Norwegia*, RAMON DE LA SAGRA, et in *patria nostra*: NIERSTRASZ, SURINGAR, WARNSINCK, UYTWERF STERLING, BOURICIUS, alii.

Consideremus verbo conditionem, in qua versantur, novissimo tempore, praecipuae carcerum in Europa institutiones. In *Anglia*, ubi circa 518 carceres inveniuntur, 32 ex 122, sub finem anni 1826, carebant partitione in classes. Anno 1827, etiam in 29 carceribus continebantur furiosi et mente capti, (grave, ut mihi videtur, vitium) quam rem emendare egregie conatus est PEEL. Quae res tamen prospero gavisa non est successu. Praeter carcerem celebratum *Millbank*, pessimi in Anglia inveniuntur carceres.

Quamquam legibus 1823 et 1824 latis, denae cuique carceri classes tribuendae erant, multi tamen carebant omni in classes partitione. Secundum relationem, 1823 a societate carceraria editam, inter 136 carceres 36 tantum tot cellulas continebant, ut singuli rei nocte includi possent. In 10 carceribus, 220 cubiculis praeditis, 2100 homines simul nocte versabantur, atque in nonnullis majoris ambitus carceribus, 15—30 delinquentes uno cubiculo continebantur. Numerus horarum operis destinatarum, aestivo tempore, 7—11, hiemali tempore 5—7 erat. In *Scotia*, exceptis elegantissimo carcere *Glascuensi*, (*New-Jail*) secundum formam radiorum aedificato et utroque carcere Edinburgensi, ceteri mala utuntur conditione; sed minus haec sentietur, quia reorum numerus satis exiguus est. In *Hibernia* vero, egregia institutio *revisionis generalis* (*Generaal-Inspectie*) uberrimos tulit fructus.

Inter 40 comitatuum carceres, 9 gerunt radiorum, 6 dimidii giri (halve cirkel) formam. Minoris ambitus carceres parum apti videbantur ad partitionem in classes. In multis etiam omni occupatione carebant delinquentes. *Menapiae* (*Dublin*), excepto carcere publice a magistratibus condito, satis mala utuntur conditione, sed hoc inde repetendum videtur, quod magistratus, aeque atque in *Anglia*, difficile admittebant emendationes in rebus curae ipsorum commissis. In *Francia*, horrendorum carcerum ólim patria, inauditae crudelitates commissae sunt praecipue in abominando carcere: *la Bastille*, testibus juvenibus D'ARMAGNAC, regnante et jubente LUDOVICO XI, et Marchione HENRI MAZERS DE LATUDE, de cujus operis, »*Memoires*" ingenuitate nonnulli tamen dubitant (infra amplius ejus notitias afferemus Parte II) Melius fortasse haec ostendit medici LINGUET opus, »*la Bastille* »*dévoilée*." Multa humanitatis documenta edidit in hac re emendanda LUDOVICUS XVIII (1) in constitutione. De teterrima, qua utebantur carceres Francici conditione, jam graviter questus est VILLERMÉ (2); et varii de horrendis cruciatibus, quibus castigabantur damnati ad triremes, dum ad carceres (*Bagnes*, *Baños* in regno *Cesareensi* (*Algiers*) cunctaque regione *Maurorum* (de quibus Parte II agemus) transportantur, (*la*

---

(1) Invenitur Germanice in opere, » *Archiv des Criminalrechts*". Bnd. VII. S. 331—335.

(2) De cujus opere cf. *Archiv des Criminalrechts*, V. Bnd. cf. HOWARD in opere laud.

chiourme) inter quos famosus eminet carcer *Telo-Martii* (*Toulon*). Inter illos scriptores vividis coloribus depinxit illorum adspectum miserabilem et duritatem custodum scriptor Francicus VICTOR HUGO (1). Nunc circiter 4 carceres habet Francia damnatis ad triremes destinatos; 14 aedes quae dicuntur correctionis et 371 inclusionis (maisons d'arret). Inde ab annis 1817—31 trecenties vicies centena millia francorum ferme impenderunt civitatis rectores ad aedificandos, elargiendos et emendandos carceres. Multi vero carebant partitione in classes et intermixti erant rei omnis generis cum furiosis, uti inprimis in carcere *Carantonensi* (*Charenton*) obtinebat. Hic repartitionis defectus egit delinquentes recidivos, incredibili fere modo, praecipue *Parisiis* et in circumjacentibus agris (2). In *patria nostra* (de qua infra plura) cujus merita, hac in re, sat justis laudibus efferebat jam egregius HOWARD, postea alii, inter quos FLIEDNER, Germanus (3), generaliter prospera utuntur conditione, multaque quotidie, humanitate regis nostri dilectissimi duce, conaminibus virorum excellentissimorum emendantur. Idem obtinet in affini *Belgio*, ubi juste celebrantur carceres

---

(1) *Dernier jour d'un condamné*, pag. 101—115.

(2) Laudibus vero celebrari debent societates in Francia, inter quas eminet, quae appellatur: *Societé pour l'amélioration des Prisons*, cui praeest Dux ICULISMAE (ANGOULÊME) et in qua socii inveniuntur, quales sunt: COTTU, DUPIN, BARO DE LESSERT, DARU.

(3) FLIEDNER *Collectenreise nach Holland und England* cett.

Gandavensis (1) et *Vilvoordiensis*. Multa praeterea hanc in rem contulit DUCPÉTIAUX. In *Helvetia*, inter singulos pagos, *Uriensis* plane caret carcere. Laudari merentur: carceres *Basileensis* et *Solodurensis* (*Solothurn*). *Bernae* novus, sed nulla certâ architecturae formâ observatâ, conditus exstat carcer. Idem dicendum de carcere *Lausannensi* in *pago Vaudo*. Prae ceteris vero eminet: carcer *Genevensis* (qui pagus generatim laudabile praebuit, recentiore tempore, exemplum moderatae et humanae legislationis, probatae etiam in novis codicibus legislationis recentioris in patria nostra) in formam radiorum conditus (2).

In Austria, jam inde a JOSEPHO II multa egregia introducta sunt, ut assiduo occuparentur detenti, eoque eorum munditiei et disciplinae provideretur. Hoc vero non aeque valet de omnibus in Austria carceribus v. c.

---

(1) Quam humanum finem sibi proposuerit carceris *Gandavensis* conditrix MARIA THERESIA, patet ex inscriptione in fronte aedis. » *Sontibus operum exercitio emendandis*." Cf. FLIEDNER *Collectenreise*, Tom I, pag. 327 seqq.

(2) Auctore praecipue DUMONT, exstitit 1820, post deliberationes habitas in comitiis legiferis. In primis studuere legumlatores Genevenses adjudicationi diversarum partium carceris diversae captivorum indoli, et sic in classes exacte distincti malefici secundum momentum delictorum, levius aut gravius puniuntur. Pagus Genevensis 1822 decrevit, ut novus carcer conderetur, qui jam 1825 patuit delinquentibus. Constat civitati circa 600, 682 fl. Genevensibus, additis fl. 11, 500 pro caloriductibus (Wärmeleiter) per totas aedes distributis. Cf. HUDTWALKER's *und* TRUMMER's *Criminal. Beiträge*, Bnd. III S. 70.

de duro carcere *Spielberg* (1), neque de carcere Mediolanensi: *St. Margerithae*, regnante FRANCISCO I, Austriae Imperatore (2). (De carceribus Venetiarum videbimus infra, Parte II). In Borussia, sub administratione viri egregii VON BRENN multa egregia assiduo introducuntur, et hoc in omnibus regni partibus fit; nam tres majoris ambitus carceres in formam radiorum constructi, exstant im parte orientali, media et occidentali. Addendum, quod jam supra 20 carceres juvenilibus delinquentibus destinati conditi sint, praeside VON ALTENSTEIN, quorum sumtus ultro ferebantur ex donis humanitatis civium et societatum in hunc finem conditarum. Laudibus efferri merentur carcer Lichtenbergae in Saxonia Borussica (Preussische Provinz Sachsen) (3) et Naugardti, in Pommerania. In Bavaria laudari merentur carcer Monachiensis (Münchner) et Plassenburgiensis, duce STUHLMÜLLER. In Wurtemberga, prospera fruuntur conditione, conditis societatibus et domibus edu-

---

(1) Ubi satis inepte captivi politici occupabantur muliebri opera fasciarum texendarum (kousenbreiden). Cf. MARONCELLI in notis ad op. laud. SILVII PELLICONIS.

(2) Ubi, quum locus deesset ad omnes novarum rerum molitarum suspectos continendos, subterranei carceres aedificati sunt, tam humidi, ut captivis capilli ex capite delerentur; tam obscuri ut plerique gravibus oculorum morbis laborarent; foetidi, ita ut audirent: *Speluncae Danteae* et *Cloacae* (inter quas comes FEDERIGO CONFALONIERI habitabat in *cloaca maxima*. »MARONCELLI in notis."

(3) Inter captivos nuperrime inventus est quidam, qui unice arte exercenda pingendi in terra coctili murrhina (porcelein) carceris aerario lucratus erat 71 Thaleros, 16 Sgr, 3 Pf.

cationi juvenilium delinquentium destinatis. In Badena (ubi ante paucos abhinc annos ipse vidi rudera horrendi carceris judiciorum Vemicorum, subter castellum ducale in ipsa urbe Badena) carcer Freiburgensis inter meliores est collocandus. Laudabile exemplum etiam praebent: Francofurtum ad Moenum, Brema, Hamburgum. In regno Saxonico, Waldhemii multum emendatus est carcer ibi conditus. Egregia hac in re, praestitit in ducatu Gothae, Coburgi et Gothae, EBERHARD.. In Hannovera, Hamelae excellens exstat carcer cui praepositus est vir egregius DOMAIER. In Megalopoli-Suerinensi (Mecklenburg-Schwerin) tractatur de novo carcere condendo. Nec Europa Septentrionalis: Suecia, Dania, Norwegia carent egregiis institutionibus. In Russia (jam ab HOWARDO laudata) multa introduxerunt honore dignissimae Societates pro captivis emendandis ferturque Moscuae aedificatus carcer secundum emendatam formam. Multa (uti jam supra attulimus) debet Russia summo Principi GALITZIN, praeposito administrationi cultus divini (*Minister van Eeredienst*). In Polonia, humanissimus comes SCARBEK, HOWARDUM imitatus, multas peregrinationes in hunc sublimem finem fecit. Intempestive vero turbae exortae in ejus patria prohibuerunt, quominus egregia conamina consequi posset (1).

---

(1) Imo apud *Sinenses* haud contemnenda est reorum custodia, quia est mirabilis humanitatis. Severe in illorum codice poenali cautum est de humana tractatione reorum in carcere et de alimonia, de sexuum separatione (mulieres in-

Huc usque perduximus historiam de carceribus et iis, quae civitates, principes, viri et mulieres, humanitatis decora, ad sortem emendandam captivorum praestiterunt. Pervenimus jam ad hujus opusculi Partem I, in qua breviter ostendere, quomodo captivi et reorum custodia apud praecipuos Antiquitatis populos tractati fuerint (latius aliquid de poena carceris apud Romanos addentes) nobis proposuimus.

---

curceratae tantum utuntur custodibus et curatricibus femineis) cf. SPANGENBERG, über das Chinesische Strafgesetz-buch: *Ta-Tsing-Leu-Lee* in op. Neues Archiv des Criminalrechts V. Bnd. P. 40. Novissimo tempore decretum exstitit Imperiale, de novis carceribus Cantoni condendis, 28 Junii 1824.

Cf. etiam KAPPLER Handbuch des Criminalrechts, uberrimos hujus scientiae fontes indigitans, ubi etiam opera invenies quae typis mandata sunt in ceteris Europae regionibus, hic non recensitis.

PARS PRIMA.

QUAENAM FUERIT POENA CARCERIS APUD VETERES POPULOS, INPRIMIS APUD ROMANOS.

Initium faciamus ab AEGYPTIIS, populo quippe juste ob egregias legum et civitatis institutiones citando. Ab assiduitate in labore ordientes, quae maxime conveniebat singulari populi indoli et virtutum externarum conservatrix erat, a parte politiae in civitate maxime studuerunt occupationi captivorum in carceribus. Jam JOSEPHI tempore exstabat ergastulum servis delinquentibus destinatum. Ipsum expertum fuisse captivitatem Aegyptiorum, postquam PUTIPHARIS uxoris iram excitaverat, docent literae sacrae (1) (*Genesis*, Cap. 39,

(1) Vs. 21. »Misertus illius, dedit ei gratiam in conspectu principis carceris."

Vs. 22. »Qui tradidit in manu illius universos vinctos, qui in custodia tenebantur: et quidquid fiebat, sub ipso erat."

Vs. 23. »Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis." Cf. et Psalmorum 104, vs. 18.

vs. 3; 20—23; et c. 41, vs. 14). Tunc enim detrusus est in carcerem, ubi ceteri regii captivi detinebantur. Praepositi carceris favorem (1) sibi tantopere conciliaverat, ut JOSEPHUM custodem constitueret ceterorum detentorum, muneris pene oblitus sui.

Apud affines AETHIOPES, teste SUIDA (in voce *καιάδας*, et HERODOTO (Lib. III. c. 23) (2), etiam usus carceris inveniebatur et vero mirum in modum tractabantur captivi, quum aeneis catenis ligarentur, in loco qui audiebat: *Heliotrapeza;* verum hanc rem non est quod tantopere miremur, quum tribuenda sit aestimationi ferri, apud eos rarissimi.

Ex duobus literarum sacrarum locis, nempe: *Genes.* 41, vs. 14, et *Exod.* 12, vs. 26, patet, apud AEGYPTIOS in usum fuisse cisternas vel puteos, ubi captivos custodiebant. Idem ex aliis literarum sacrarum locis patet de diversis populis, cisternis exsiccatis, pro carceribus usurpatis. Aliis locis, nempe apud JEREMIAM Prophetam agitur de carcere, (secundum interpretes *puteo*), in quem detrusus est, non aqua, verum crasso luto pleno (3). Tum de cippo quodam, maxime con-

---

(1) Qui videtur fuisse dux custodum corporis regiorum, atque in ejus castello custodiebantur captivi (MICHAËLIS *Mos. Recht*).

(2) *»'Ἀπὸ τῆς κρήνης δὲ ἀπαλλασσομένων, ἀγαγεῖν σφέας »ἐς δεσμωτήριον ἀνδρῶν, ἔνθα τοὺς πάντας ἐν πέδῃσι »χρυσέῃσι δεδέσθαι. Ἔςι δὲ ἐν τούτοισι τοῖσι Αἰθίοψι »πάντων ὁ χαλκὸς σπανιώτατον καὶ τιμιώτατον.*

(3) JEREMIA, cap. 38, vs. 6, 7, 13.

veniente cum Graecorum instrumento: πεντεσύριγγος, in quo 5 foramina, per quae reorum pedes, manus et caput protrudebantur (1).

Ceterum *jure Mosaico*, usum carcerum (2) non habebant JUDAEI, timente forte humano legislatore, ne puteorum, quibus (populus quippe nomas) solebant captivos includere, humor sanitati illorum noceret.

De CARTHAGINIENSIBUS constat, eos delinquentes detrudere solitos fuisse in domicilium teterrimum, quod *Ancon* appellabatur.

De PERSIS, qui barbaras solebant de delinquentibus et captivis sumere poenas, quod egregie ostenditur teterrima *poena scapharum*, plura inveniuntur. Rei apud illos in carcerem et publica vincula conjiciebantur; quod patet ex CTESIA, narrante conjurationis reos in carcerem detrusos fuisse (Q. CURTIUS, Lib. VI, c. 2. § 11) (3) CYRILLUS refert, MANEM εἰς φυλακὴν et δέσμιον conjectum fuisse, et δεσμοφύλακας condemnatos, quia evasisset. Nobiles vero captivi, uti *de* CROESO, a CYRO

---

(1) JEREMIA, cap. 29, vs. 26.

(2) Quod ad scriptores recentiores, operae pretium est conferre fabulam SILVII PELLICONIS: *Ester d'Engaddi*, Actu III, Scena 6, et Actu IV, Scen. 1, ubi agit de muliere quadam, adulterii accusata, spelunca in saxo vivo, a Pontifice Maximo votâ, inclusa, antequam coram populo, fatale poculum, in quo sacra verba diluta erant, hauriret, quodque si nocens reperiretur, adulterae intestina saeve lacerabat.

(3) »OXYDATES *erat nobilis Perses, qui a* DARIO *capitali supplicio destinatus, cohibebatur in vinculis.*"

devicto, narrat AUSONIUS (1), solebant aliquando aureis vel argenteis vinculis ligari. Idem testantur AMMIANUS MARCELLINUS, de SAPORE rege loquens, et TERTULLIANUS, referens: »*ibi vernaculum fuisse au*»*rum et copiosum.*" Postremis temporibus usi sunt Persae carcere, nomine *Lethe*, in quem capitalis criminis rei detrudebantur, teste PROCOPIO. Sapienter vero caverunt, ne quis indictâ causâ, aut indemnatus capite puniretur (2).

Quod attinet ad argumentum de carceribus GRAECORUM, multum disputatum est inter viros doctos, »*utrum plura, an unum tantum* δεσμωτήριον *fuerit?*" Qua de re disputare, non est hujus loci. Considerabimus tum poenam carceris apud illos ipsam, tum captivorum apud ipsos sortem.

Inter varia poenarum genera citare hic liceat: *vinculorum* poenam, (δεσμός), quae diversi erat generis.

1.) *Κύφων*, vinculum ligneum, quo cervices noxiorum deprimebantur (ARISTOPH. Plut. V, 476), a verbo κύφειν. Alias κλοῖος et κλῷος. — (Cf. SUIDAS).

2.) *Χοῖνιξ*, lignum, cui pedes noxiorum inserebantur et constringebantur (Schol. ARISTOPH. Plut. V. 276) — SALMASIUS ad ACHILL. TAT. P. 648, seqq. Alias ξύλον (ARISTOPH. Equit. 394.) ξύλον τετρημένον

---

(1) *In ludo septem sapientum.*
»*Vinctumque pedicis aureis secum jubet,*
»*Reliquum quod esset vitae, totum degere.*"

(2) Cf. ad totum hunc locum: BARNABAS BRISSONIUS, *de Regno Persarum*, lib. II, c. 209—213.

et πεντεσύριγγον (Attice κᾶλον). Alias ποδοκάκη v. ποδοκάκκη, (cippus) (forsan instrumentum: Stok, Stockschilling, in quod pedes captivorum trudebantur) v. ποδοστράβη (lat. nervus) AUL. GELL. *Noct. Att.* XX, 1.

3.) Σανὶς tabula, in qua malefici ligabantur, (ARISTOPH. *Thesmoph.*) V. 940.

4.) Τροχὸς, rota, ad quam vincti servi, qui fugerant, furtumque fecerant, verberibus caedebantur. Alias ξυλοπέδη.

De vocabulo notatu dignissimo: ἀνάκαιον v. ἀναγκαῖον invenitur locus egregius apud SCHÖMANN ad ISAEUM P. 493, ubi agitur de fragmento Orationis contra HERMONEM. Adversarius scil. objicit HERMONI, quod HERMOCRATEM quemdam, libertum suum hunc esse causatus, in carcerem conjecisset, neque prius dimisisset, quam XXX drachmis ab eo exactis. MAUSSACUS censet τὸ ἀναγκαῖον *privatum fuisse carcerem;* de quo tamen dubitandum. Nam in SUIDAE loco, ubi ἀνάκαιον definit: »τὸ δεσμωτήριον, εἰς ὃ κατέθεντο τοὺς »πονηροὺς δούλους καὶ τῶν ἀπελευθέρων τοὺς αφισα»μένους," vix discerni potest, utrum de privata, an publica agat coërcitione. Verisimile videtur, HERMOCRATEM, μέτοικον haud dubie, ab HERMONE ἀποστασίου (*proditi erga patronum officii*) postulatum, et quum vades dare non posset, in carcerem conjectum fuisse, mox vero HERMONEM, pecunia accepta, ab actione destitisse; quo facto, ille debebat e carcere dimitti. Ceterum quod ad quaestionem de diversa vocabuli ἀναγκαῖον scribendi ratione, resolvenda videtur eo, quod ἀνάκαιον Boeotice dictum sit a SUIDA,

pro *ἀναγκαῖον*: »*δεσμωτήριον παρὰ τοῖς Βοιωτοῖς οὕτω* »*καλουμένον, ὡς και παρὰ τοῖς Κυπρίοις ὁ κέραμος.*" (*Ceramon*). XENOPHON *Hellen.* V, 4, 8 et 14 tradit: eodem nomine dictum fuisse carcerem apud THEBANOS. Apud THESSALOS inveniebatur locus: *Κόραξ* (corvus) appellatus, unde noxios solebant praecipitare. Huc pertinere videtur phrasis Aristophanica »*ἐς κόρακας*" — Apud MESSENIOS carcer exstabat sub nomine: *Thesauri*, subterraneus, quadrato saxo, in quo PHILOPOEMEN necatus fertur (1), tam immanis et saevus, ut neque ventum, neque auram acciperet. Uno eoque immenso lapide claudebatur. Apud Spartanos erat *Decas*, locus in carcere, ad poenam aedificatus, ubi damnati mortem oppetere cogebantur, et ubi eos strangulabant; quod noctu fecisse dicuntur, non vero interdiu (2); et spelunca quae *Καιάδας* dicebatur in quam detrudebant maleficos (uti in *βάραθρον* Athenienses). Fortasse haec fuit spelunca, in quam ARISTOMENES Messenius detrusus est (3). Athenienses solebant male-

---

(1) PHILOPOEMEN detrusus est a *Messeniis* in *Thesaurum*, (acria ironia, quali saepius usi sunt immanis saevitiae tyranni, uti etiam notum illud APPII CLAUDII dictamen. Saevum enim, a se aedificatum carcerem »*domicilium plebis*" nuncupavit, alii, illum secuti, »*promptuariam cellam*, *publicum hospitum*") ubi mox, jussu DINOCRATIS, poculum venenatum vir constantissimus hilari vultu hausit.

(2) PLUTARCHUS, in vita AGIDIS et CLEOMENIS.

(3) Bello II^{0} Messenio, post multas clades acceptas, Lacedaemonii vivum ceperunt terribilem ARISTOMENEM, Messeniorum ducem, eumque Spartam conductum detruserunt in speluncam profundam, una cum 50 aliis. Qui cadentes, omnes

ficos praecipitare in Barathrum v. c. criminis ἀδικεῖν τὸν δῆμον reos; quae poena ab iis appellatur »ἐς τὸ βάραθρον ἐμβληθῆναι." Videtur fuisse profundus terrae hiatus vel ὄρυγμα. MILTIADIS corpus Populiscito in Barathrum dejectum traditur.

Apud SPARTANOS occurrit: τὸ φρέαρ (puteus). Quam barbare versati sint SICULI erga captivos notissimum est. Latomiae enim praebuerunt hujus detentorum tractationis exemplum Romanis. Indigitare hic sufficiat horrendos cruciatus, quos passi sunt miseri Athenienses captivi, post funestum expeditionis in Siciliam exitum, quo macula atra sese adsperserunt Siculi, trucidandis magnis illis ducibus: NICIA et DEMOSTHENE; quamvis facunda illius senis oratio, coram populo, ante illorum damnationem habita, vehementer civibus suaderet, ne tale facinus abominandum committerent. Captivi igitur Athenienses, numero 7,000 conglomerati, per 8 menses in *Latomiis Syracusanis*, ad operas perpetuas damnati, omnis generis cruciatus perpessi sunt. Nam ibi intemperiei coeli expositi, urebantur interdiu radiis solis, noctu congelabantur frigore auctumnali. Auram hauriebant infectam putore ipsorum excrementorum, cadaverum illorum, qui morbo aut morti occumberent; omnes inediae et sitis horrores

---

perierunt, praeter ipsum ARISTOMENEM. In imâ parte antri fertur invenisse bestiam feram, occupatam devorando cadavere. Cujus dentes cum vitasset, caudam corripuit, donec perveniret ad aliquod speluncae foramen, per quod postea redux factus est ad suos.

sentiebant, quum iis, pro alimonia, nonnisi exigua una aquae, duae mellis portiones distribuerentur. Rem memoratu perdignam hic enarrare liceat: captivi nonnulli, recitandis EURIPIDIS versibus, aures Siculorum captarunt, ita ut e carcere depromti, ut servi venirent in peregrinis terris, libertas iis donata sit atque reduces, omnes adirent magnum poetam, gratias ei, ut liberatori, ex imo pectore acturi.

Missa quaestione de numero carcerum, (δεσμωτηρίων) memorabilis locus referendus est, qui invenitur in PLATONIS *De Legibus*, Lib. X, 908.

»*Et si quis condemnatus fuerit, judices hunc pro singulis impiè commissis singulis quibuscunque afficiant suppliciis. Carceribus* (δεσμός) *quidem omnes coërcentur. Tres vero sunt in civitatate carceres. Unus plurimis communis in foro rerum venalium* (ἀγορά) *ubi multi ne fugiant, custodiuntur. Alter, ubi coetus eorum fit, qui nocte congregantur, correctionis nomine appellatus* (σωφρονιστήριον). *Tertius in media regione, ubi quam maxime desertus sylvestrisque locus est, supplicii* (τιμωρίας) *nomine notatus* (1)."

Nemo, indictâ causâ, civis apud *Athenienses* poterat in carcerem abripi, modo vades idoneos daret. Itaque et SOLON praecepit in jurejurando *Senatorum:* »*ne quemquam vinculis mandarent, nisi si quis ad ci-*

(1) Plura habet POLLUX in *Onomastico*. Quae quum nonnisi nomenclaturam efficiant, hic non referimus.

»*vitatem prodendam vel statum popularem evertendum* »*coïre deprehenderetur, aut si publicae rei redem*»*tor, vel praes, vel portitor, non solvisset,*" (formula haec exstat apud DEMOSTHENEM in *Timocrat.* P. 745 seqq.) Ipsos vades in vinculis teneri solitos fuisse refert XENOPHON, Hellen. I, 7.

Porro aerarii publici debitores (*ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ*) carcere puniebantur (DEMOSTH. in Timocrat. P. 712) *Senatus Quingentorum* poterat eos, qui vectigali emto, mercedem non solvissent, alligare ad truncum (*δεῖν εἰς τὸ ξύλον*). Omnes criminum praecedentium rei existimatione civium privati videntur fuisse et poenas luebant, quibus *ἀτιμίαν* sibi suscitabant. Universe monendum, causam, cur tam saepe apud Athenienses poena *ἀτιμίας* applicata fuerit quaerendam esse in humanitate et mansuetudine legislationis criminalis. Nam Graeci generaliter maxime abhorrebant a talibus poenis, quae corpus *liberi hominis* cruciatu afficerent, (quod privilegium etiam Romani cives tam acriter sustinebant) omnemque inutilem crudelitatem respuebant (1). Crudeliores poenae tantum in servos irrogabantur. Accessorium aliquando poenae irrogabatur, uti extraordinarium quid: carcer. (DEMOSTH. *in Timocr.* P. 733, LYSIAS in *Theomnest.* P. 356) apponens legis Solonis partem: *δεδέσθαι δ' ἐν ποδοκάκκῃ ἡμέρας πέντε τὸν πόδα, ἐὰν προστιμήσῃ ἡ ἡλιαία.*) *ligari in vinculis dies* 5 *pedem,*

---

(1) Imo ne in crimine *προδοσίας* quidem non severius animadvertebatur praeter ipsam poenam.

et ut videtur totidem noctes) si hoc poenae insuper addiderit (προστιμήσῃ) *Heliaea* (1). Capitis damnati nullis exquisitis suppliciis solebant ab *Atheniensibus* affici, eorumque urbana humanitas omnes mortis poenas, praeter cicutae haustum (τὸ κώνειον) respuebat, quod poculo comprehensum, adstante uno vel altero ministro publico, in carcere sumebatur. Et si attente consideramus totam mortis SOCRATIS historiam, uti eam refert PLATO in *Phaedone* (2), humanitati Atheniensium erga captivos in carcere summae laudes sunt tribuendae. Nam amici SOCRATIS quum advenissent ad carceris januam, rogabantur, ut vellent paullulum exspectare, donec *XI viri* (per euphemismum atticum pro *ministris justitiae publicae*) vinculis SOCRATI demtis, ei moriendum esse, renuntiassent, ante solis occasum. Quum aliquod tempus exspectassent, rogati sunt, an vellent intrare. Quo facto, SOCRATEM invenierunt gravamine vinculorum liberatum, cum uxore XANTIPPE, parvulum filium brachiis amplectente cett.

Ex toto hoc loco memorabili patet, captivos justâ frui solitos fuisse libertate, quamvis vinculis ligatos; haecce certis temporibus demta, et captivos dulci solatio uxoris, familiarium et amicorum, permittentibus carceris praepositis, gavisos fuisse. Custodes et alios ministros publicae justitiae satis mites fuisse sus-

(1) Cf. ad totum hunc locum pulcherrima commentatio a Consult. VAN LELYVELD conscripta »περὶ 'Ατιμίας."

(2) *Phaedo*, c. 3.

picaremur ex praeclaro facto in SOCRATIS morte: servi nempe lacrymantis, quum fatale poculum hauriendum porrigeret.

Urbis minister i. e. carnifex (1) mortis damnatos excipiebat, (teste POLLUCE) et erat e numero XI *virorum.* »*Νομοφύλακας quosdam, addit, a Phalereo sic appel-* »*latos, captivorum curam habuisse et providisse poena-* »*rum exsecutioni, ferunt.*" His inerant XI, quorum singuli e singulis tribubus electi, annumerato iis scribâ, efficiebant numerum XI (*οἱ Ἕνδεκα*). Praefecti erant carceris (*ἡγεμονία του δικαστηρίου*), custodes, carnifices, ministri quaestionis (2). Similes satis videntur fuisse Romanorum *triumviris capitalibus*, et vindices erant rerum capitalium. Videntur porro potuisse noxios: *δεῖν ἐν τῷ ξύλῳ.* Apud Spartanos potestas reos in carcerem conjiciendi erat penes *Ephoros.* Carcer videtur etiam apud eos ad poenam adhibitus fuisse.

Transeamus ad ROMANOS, et primum videamus de praecipuis illorum carceribus; tunc de modo, quo diversis temporibus captivos tractare soliti fuerint et quales mutationes reorum custodia nacta sit.

Missis disputationibus de origine vocabuli *carceris* (3),

---

(1) Per urbanitatem Atticam ita dicebatur; uti saevissimus carcer: *οἶκος* (domus).

(2) Cf. ad h. locum: SCHÖMANN, Antiquitates Juris Publici Graecorum, pag. 246 et HERMANN, Lehrbuch d. griech. Staats-alterthümer.

(3) Vocabulum *carcer* (forsan contractum ex: *coërcer*) a verbo *coërcere* oriundum videtur, secundum VARRONEM vel *quasi arcet*, ab *arcendo* et deducendum a metaphora, qua equi in

num et carcer Jure Romano, locus sanctus fuerit (1), statim transeamus ad enumerandos et describendos praecipuos Romanorum carceres. I.) Primus carcer Romae aedificatus est ab ANCO MARTIO in capite fori (LIVIUS lib. I, c. 33) praecipue ad »*terrorem in*»*crescentis audaciae.*" In quo carcere, locus subterraneus dicebatur: *Tullianum*, quia hic locus ad maleficos custodiendos jam a SERVIO TULLIO aedificatus censebatur, (VARRO *de Ling. Lat.* lib. IV, 32) et aliquando *Tullianum* dicebatur, secundum MARLIANUM (in »*Topographia U. Romae*)." Paucissima tamen de hoc carcere ad posterorum notitiam pervenerunt.

Omissis ceterorum virorum doctorum sententiis, quas

---

cursibus retinentur *carceribus* i. e repagulis, unde exire non possunt, donec signum curriculi permetiendi datum sit; et ita SERVIUS ad Aen. Lib. I et V, definit carcerem »*omnis* »*locus unde exire prohibemur.*" Carcer igitur, servata hac metaphora, generatim est *locus*, *ubi mali cives custodiuntur*, *quod eo homines coercenntur et includantur* (VARRO de Ling. Lat. lib. IV, c. 32. Speciatim carcer dicitur: *locus publice ad custodiam destinatus*, (nam *privati carceres* abominari nec in civitate tolerari debent) unde noxii homines, custoditi in securitatem civitatis, egredi non possunt. Carcer privatus, ubi secundum testimonium Legum XII Tabularum, Patricii solebant debitores plebejos custodire, secundum nonnullos, a magistratibus tamquam carcer publicus usurpabatur.

(1) Quod voluere nonnulli, dicentes, carcerem ideo *sanctum* fuisse, quia ab injuria hominum munitus et inviolabilis erat. Sed recte observat MATTHAEUS (de *Criminibus* cett. ad tit. *de carcer. effract.*) »*absurdum esse*, *statuere lo*»*cum tenebris incultum*, *odore foedum atque terribili* »*facie sanctum Romanis fuiss.*."

diligenter attulit SCHADE VAN WESTRUM in dissertatione »*de cura, quam Romani habuerunt carceris et eorum,* »*qui carcere continerentur.*" Standum videtur a parte ALEXANDRI DONATI, referentis, (*de U. Roma, in Thes. Graev.* Tomo VII.), carcerem Tullianum situm fuisse in illo loco, ubi nunc exstant *aedes* ST. PETRI, sive in *Regione VIII fori Romani;* idque praecipue ob hanc causam, scil. quod omnia, quae LIVIUS, SALLUSTIUS et VARRO narrant, optime conveniunt aedibus ST. PETRI in carcere, quae in media sunt urbe, sub radicibus *Capitolii*, foro imminentes, cujusque subterraneam partem, qualem SALLUSTIUS (1) illam describit, et PLUTARCHUS in *Mario* (2), etiam nunc ibi invenire licet, secundum antiquitatis doctores. Nam locus ibi est subterraneus, e saxis totus concameratus, cujus in

---

(1) *Bell. Catilin.* c. 55. »*Est in carcere locus, quod Tullia-* »*num appellatur, ubi paululum adscenderis ad laevam,* »*circiter XII pedes humi depressus. Eum muniunt* »*undique parietes, atque insuper camera, lapideis forni-* »*cibus vincta: sed incultu tenebris, odore foeda, atque* »*terribilis ejus facies est. In eum locum postquam de-* »*missus est* Lentulus, vindices rerum capitalium, *quibus* »*praeceptum erat, laqueo gulam fregere*" cett.

(2) »*Cui post triumphum in carcerem dejecto quidam vesti-* »*mentum violenter laceraverunt; alii vero dum inaures* »*vi auferre decertarent, auriculam una dilacerarunt.* »*Detrusus autem nudus in barathrum, perturbatione* »*plenus, obtrectans: Hercule inquit, quam frigidum ves-* »*trum est balneum. Sed hunc sex dies colluctantem* »*cum fame, et usque ad ultimam horam desiderio vitae* »*suspensum condigna poena suis crudelitatibus confecit.*" Cf. et SALLUSTIUS *Bell. Jugurth.* cap. ult.

medio foramen, per quod detrudebantur damnati aut rei demittebantur. Nulli gradus ad descensum aderant nisi qui postea in gratiam Christianorum captivos visitantium, excisi fuerunt. Pars inferior porro carceris *Tulliani* aliquando audiit: *robur Tullianum*, secundum CALPURNIUM FLACCUM in *Declam*.

II.) Alius carcer antiquissimus Romae (teste ALEXANDRO DONATO) inveniebatur in regione *IX circi Flaminii*. Audiebat *carcer C virorum*, *aut* CLAUDII XVIRI. Versus JUVENALIS (1) ostendunt, illum post *Tullianum* aedificatum fuisse. DONATUS refert, huncce CLAUDII *carcerem* ad locum, ubi nunc est *aedes* ST. NICOLAI, prope *theatrum* MARCELLI, situm fuisse. Quem carcerem PLINIUS (2) videtur attigisse in memorabili illo Romanae virtutis et pietatis exemplo, quum filia matrem esurientem in carcere lacte suo sustentaret et haec, quamvis ob grave crimen, in carcere tribuno necanda tradita esset, ob singularem filiae pietatem poenae remissionem impetraret.

III.) Tertium fuisse *carcerem Mamertinum* statuunt nonnulli, ita appellatum forsan ab aliquo ex familia *Mamertina*, eum ampliante aut reficiente; aut a vico *Mamertino* ei adverso. In hocce carcere putan-

---

(1) *Satira* III, v. 312.
» *Felices proavorum atavos, felicia dicas*
» *Saecula, quae quondam sub* regibus atque tribunis
» *Viderant* uno contentam carcere *Romam*."

(2) *Hist. Nat.* VII, 36 addit: »*locus ille eidem consecratus* »*est Deo, templo pietatis exstructa in illius carceris* »*sede, ubi nunc* Marcelli theatrum *est*."

tur PAULUS aliique martyres detenti fuisse. Disputatur etiam utrum idem an diversus fuerit a *Tulliano*. Qui statuunt, illum a *Tulliano* diversum fuisse, secundum DONATUM errant. Nam illo teste, falso referunt locos PLINII (1) ad carcerem Mamertinum, qui accipiendi sunt de carcere Cvirali. Nec obstat inscriptio incisa in fronte aedificii, quam refert SCHADE VAN WESTRUM, op. l. (2), nam forte illis Consulibus instauratus fuit.

Videamus aliquid de *Latomiis*. VARRONE teste, pars carceris subterranei *Tulliani* dicti, (addita quippe a TULLIO rege) vocabatur etiam *Latomiae* vel *Lautumiae* (3), desumto nomine ab horrendo illo loco, ubi *Syracusis* detinebantur captivi, cujus facundus descriptor fuit CICERO in Oratione Verrina (4), aedificati a DIONYSIO Syracusarum tyranno. Saepius in jure Romano vocabulum *latomiae* pro carcere usurpatur (uti infra saepius videbimus). Porro LIVIUS eamdem vim

---

(1) Hist. Nat. VII, 36 et ult.

(2) C. VIBIUS, C. F. RUFFINUS, M. COCCEIUS, M. F. NERVA, CSS. EX S. C.

(3) Lautumiae lingua sicula significant *lapidicinam* i. e. »*locum* »*caecis lapidibus exsectum*" (ASCONIUS PEDIANUS).

(4) CICERO, in Verrem V, 27. »*Latomias Syracusanas om-* »*nes audistis, plerique nostis: opus est ingens, magni-* »*ficum, regum ac tyrannorum; totum est ex saxo in* »*mirandam altitudinum depresso, et multorum operis* »*penitus excisum. Nihil tam clausum ad exitus, nihil* »*tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias,* »*nec fieri nec cogitari potest.*" Idem, in Verrem c. 55. »*Carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio* »*factus Syracusis, quae* lautumiae *vocantur, in istius* »*imperio domicilium civium Romanorum fuit*" etc.

ei tribuit (v. c. in Lib. 37, c. 3; Lib. 27, c. 27.) Videntur Latomiae primum a TARQUINIO SUPERBO constitutae fuisse, ad custodiae locum, juxta *Tullianum* et *forum piscarium*. Imo *Tullianum* nonnunquam *latomiarum* nomine appellatur, ad exemplum carceris Syracusarum. Nam lapidicinae quae et Romae in agris suburbanis lapidem rubrum Romanis fabricis suppeditantibus, exstabant, ANCO MARTIO et TULLIO regibus occasionem praebuerunt forsan ad carcerem exstruendum in cavis Montis Capitolini (quod et DONATUS, ipse hujus usus, etiam ejus tempore vigentis testis, de hocce monte affirmat.)

Missis praeterea virorum doctorum disputationibus *de Robore*, *collato cum Saxo Tarpeio*, *robur* dicebatur (teste FESTO) *locus*, *in quem praecipitabatur maleficorum genus* (quod et *Spartae* aliisque locis usuveniebat) *quod antea arcis robusteis includebatur*. Sententia vero illorum, qui dicant, *robur a Saxo Tarpeio diversum fuisse*, satis probabilis videtur. Nam robur erat pars carceris; *rupis Tarpeia* praeruptum M. Capitolini, cujus formam nullomodo robori convenientem describit AELIUS FUSCUS (1). Videntur Romani de rupe Tarpeia, aeque atque de robore (potius e robore)

(1) „*Erat praeruptus locus et immensae altitudinis moles,* » *abscissa in profundum, frequentibus exasperata saxis,* » *quae aut elidant corpus aut de integro gravius impel-* » *lant: inhorrent scopulis enascentibus latera, et im-* » *mensae altitudinis tristis adspectus: electus potissimum* » *locus, ne damnati saepius dejiciantur.*"

praecipitasse maleficos, sed diverso modo. Nam de rupe Tarpeia videntur eos statim et publice (1) praecipitasse. In robore, parte quippe carceris, malefici per aliquot tempus detinebantur, donec inde protracti, per apertum foramen camerae in inferius cavum occulte et clam (2) dejicerentur. Insuper probant nonnulli utrumque diversum fuisse, ex loco LUCRETII (3) et CALPURNII (4). Ex quo posteriore loco patet, praecipitationem e robore occultam fuisse, quippe quae a ceteris solis in eodem carcere, *tenuem lucis umbram recipiente*, inclusis spectari poterat.

Robur denique diversum fuisse a *Tulliano*, statuunt POLLETUS, *Hist. Fori Romani*, Lib. V, c. 14, et SIGONIUS, tradens duas partes in carcere fuisse: *robur*, unde praecipitatio, *Tullianum*, ubi strangulatio fiebat, contra DONATUM et NARDINUM, eundem locum esse dicentes. Duplex vero vocabuli *robur* significatio ansam huic disputationi videtur praebuisse. Nam primum *robur* usurpatum fuit pro: *angustiis arcis aut conclavibus e ligno constructis, quibus includebantur*

---

(1) Cf. LIVIUS, Lib. 25, c. 7.

(2) Cf. LIVIUS, Lib. 38, c. 59.

(3) *De rerum natura*, III, v. 1030.
» Carcer et horribilis de saxo jactus deorsum,
» Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedae."

(4) *Declamat.* 5. *» Video, inquit, carcerem publicum, saxis » ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis » umbram recipientem. In hunc conjecti robur Tullia» num prospiciunt et quoties jacentes ferrati postis stridor » excitat, exanimantur et alienum supplicium aspectando, » suum discunt."*

malefici (1). Strictiore sensu interpretantur illud nonnulli *de inferiore cavo*, in quod per foramen noxii, ferro onerati, dejiciebantur, ut strangularentur aut cervices illorum frangerentur (2).

Pauca addamus de *Scalis Gemoniis* (3).

De forma externa carceris TULLIANI haec tantum inveniuntur. Ejus fuisse unam portam eamque munitissimam ad securitatem, quaque majus a vi externa et interna defenderetur, traditur.

Fuit et pons ad introitum, uti patet ex VELLEIO PATERCULO (4), per quem captivi in carcerem introducebantur. Ad carceris latus scalae erant, in quas cadavera maleficorum, a carnifice unco trahi nudaque projici solebant. De quibus loqui videtur DIO CASSIUS (5), uti nonnulli existimant. Nominatim occurrunt apud VALERIUM MAXIMUM (6). Hunc locum inter-

---

(1) VALER. MAXIM., Lib. VI, c. 3.

(2) Cf. LIVIUS, Lib. 34, c. 44; SALLUSTIUS et PLUTARCHUS l. l.

(3) Ita videntur appellatae, quia locus erat *gemitu* et calamitate plenus.

(4) Hist. Rom. II, c. 7.

(5) Hist. Rom. Lib. 58, P. 624 Ed. Leunol. »*cumque in Capitolio sacrificasset* (SEJANUS) *atque inde in forum descenderet*, *servi ejus stipatores*, *cum propter turbam* »*eum sequi non possent*, *in viam*, *quae ad carcerem* »*ducit*, *diverterunt*, ac per gradus, in quos damnati »projiciebantur, *descendentes*, *lapsi sunt et ceciderunt*.

(6) Lib. VI, c. 9. loquens de Q. CAEPIONE — »*corpusque ejus* »*funesti carnificis manibus laceratum*, *in* Scalis Gemo- »niis *jacens*, *magno cum horrore totius fori Romani* »*conspectum est*."

pretes afferunt ad probandam erroneam aliorum sententiam: *scalas Gemonias in monte Aventino sitas fuisse*. Hinc patet, cadavera nuda maleficorum in foro versantibus spectanda exponere solitos fuisse Romanos, unde postea uncis in *Tiberim* trahebantur.

Praeter hosce carceres in ipsa Urbe Roma, solebant Romani noxios *Albae*, in *Latio*, tanquam loco munitissimo custodire.

Hucusque diversos *carceres* apud Romanos notissimos consideravimus. Restat, ut nunc videamus, quomodo *reorum custodiam* tractaverint, quaeque hac in re statutae sint usque ad Imperatorum Christianorum tempora. Quorum legibus huc pertinentibus citatis, et additis de poenis illis apud Romanos notitiis, quae optime cohaerere videntur, etiam hodierno jure, cum poena carceris, scil. de *poena metallorum*, in *opus publicum damnatione* et *in pistrinum*; et consideratione de modo, quo veteres populi captivos in bello tractare soliti fuerint, transibimus ad hujus opusculi II^am^ partem.

Antiquissima liberae reipublicae aetate, parum solliciti videntur fuisse Romani de cura carcere inclusorum. Huic vero negligentiae satis frustra occurrere studebant nonnulli egregii cives, de illorum emendatione cogitantes, uti patet ex loco QUINCTILIANI jam supra allato (1). Quae res satis miranda videtur in populo, libertatis conservandae tam studioso, quique

(1) Inst. Orat. Lib. XII, 1.

illius deminutionem tam aegre tolerabat (1). Sed haec non generaliter erat juris criminalis indoles. Sufficiebat iis, ut quam acerrime sibi caverent, ne carcere includerentur, atque hanc sortem *cives* vitarent. Inclusorum vero, maxime quippe e peregrinis, servis, perduellibus, aliisque perditissimis civibus, hostibus aequiparandis, consistentium, pene obliviscebantur. Primis temporibus civitatis Romanae, quum legum auctoritas satis laxa esset, Romani sese ad normam morum seu legum *Albanorum* videntur conformasse. Verosimile satis videtur, *poenam carceris* tunc Romanis innotuisse et ab illis irrogatam fuisse ad exemplum Latinorum, qui regnante AMULIO, delinquentes carcere puniebant. Huc etiam facere videtur locus LIVIANUS (Lib. I, c. 33), quod confirmet sententiam: *Romanos etiam carcerem ad poenam adhibuisse*, quum ANCUS MARTIUS, aedificando carcere ad »*terrorem increscentis audaciae*," magis respexisse existimandus sit poenam captivorum quam illorum nudam custodiam. Verum hocce consilium, lapsu temporum, mutatum fuisse in jure criminali Romanorum probamus loco ULPIANI, (L. 8, §. 9 *D. de poenis*). CICERONIS tempore vero

(1) Ita et primis temporibus, nullus ante sententiam dictam in carcerem mittebatur, modo vades dare posset s. sponsores, qui promitterent, reum in judicium statuto die venturum. Exempla habet LIVIUS, Lib. III, c. 13. fin et Lib. XXV, c. 4. alii. Ex quo ultimo loco etiam patet nonnunquam evenisse, ut reus, qui abesset, mali forsan conscientia excitatus et solum patrium reliquisset, in justo exilio esse diceretur.

revera tanquam *poena* irrogabatur: nam in carcerem detrusi, saepe ad supplicium in ipso carcere damnati sunt. Quam sententiam affirmant ipsius verba in oratione *Catilinaria* (1) et in libro *de Officiis* (2). Exempla porro de nonnullis civibus Romanis carcere tanquam poena affectis, habet VALERIUS MAXIMUS (3). Quod ad modum, quo poenam carceris applicabant et ad eos, quos carcere includere solebant, primis temporibus, praeter reos et damnatos ob delicta commissa, moribus constitutum, seu potius abusu introductum erat, cujus causa potissimum quaerenda erit in Patriciis, saevientibus in clientes plebejos, ut debitores, qui solvendo non essent, in carcerem trahi possent cogique ad operas praestandas in servitute. Secuti videntur Romani morem *Graecorum*. Nam ibi, si qui mutuum accepissent, oppignoratis corporibus, a creditoribus abduci, iisque addici poterant. Hoc obtinebat in Graecia, ante SOLONIS tempora, qui corpora debitorum liberavit (ad exemplum *Aegyptiorum*, teste

---

(1) » *Vincula eaque sempiterna ad* singularem poenam *nefarii* » *sceleris inventa sunt. Cat. IV.*

» *Sentiet in hac urbè esse carcerem*, *quem* vindicem » *nefariorum scelerum majores nostri esse voluerunt.*" Cat. II.

(2) De Officiis III, c. 5. » *Hoc spectant leges*, *hoc volunt*, » *incolumem esse civium conjunctionem; quam qui dirimunt*, *eos morte*, *exilio*, *vinculis*, *damno coërcent.*"

(3) VAL. MAXIM. Lib. VI, c. 3. De VETTIENO vel LABIENO, ad *vincula perpetua* damnato, quippe qui digitos absciderat, ne militaret bello Italico. Lib. VI, c. 1, 10. De C. CORNELIO, ob stuprum cum ingenuo adolescenti commissum, ad poenam mortis *in vinculis publicis* damnato.

DIODORO SICULO); facultates autem et possessiones obnoxias fecit creditoribus (1). Deinde SERVIUS TULLIUS egregius exstitit vindex plebis oppressae a nobilibus (2), quum juberet »*ne quis ob aes alienum in nervum (i. e. vincula) duceretur, nec foeneratoribus jus esset in corpora libera, sed contenti essent debitoris facultatibus.*" Humanissimum illud institutum cum aliis

---

(1) Mos debitorum carcere includendorum, etiam apud alias gentes, jam antiquitus videtur viguisse. Jure *Attico* fere plane conveniebat cum *Jure XII Tabularum*.

Idem obtinebat apud *Etruscos* (cf. opus conscriptum a GIUSEPPE MICALI, l'Italia avanti il dominio dei Romani. Milano, 1826. Tom. II, P. 23, ubi haec in versione Gallica inveniuntur.

»*Il règnait une grande modération dans les* lois Etrus»ques, *comme on peut le voir par celle, qui était rélative aux débiteurs insolvables, si cruellement traités par les lois des XII Tables. Cette loi, bien loin de le contraindre par corps, ne donnait au créancier d'autre droit que celui d'exposer le débiteur à la honte publique, en le faisant suivre par une foule d'enfans, qui traversaient la ville, armés d'une bourse vide, qu'ils agitaient dans l'air, pour annoncer au peuple l'ignominieuse pénurie de celui qui ne pouvait satisfaire à ses obligations.*" Cf. et HERACL. PONT. *Polit.* p. 213 in *Prodromo Bibl. Hell.* ibi laud.

Lombardi, *Judaei*, *Javani*, (CRAWFURD, *Archipelagus Indic.*) *Indi* (*code des lois de Brame*) eundem morem secuti sunt.

(2) Qualis fuerit illorum miserorum conditio, optime discimus ex loco illustri in Hist. Rom. Pag. 598, NIEBUHRII:

Quotidie fere Romae triste spectaculum ostensum fuisse debitorum, qui gregatim de foro, addicti creditori ducerentur et vincti replerent nobiles domos et ubicunque Patricius habitaret, ibi privatum esse carcerem.

saluberrimis constitutionibus SERVII A TARQUINIO SUPERBO abrogatum est. Tempore *X Virorum*, vigentibus *legibus XII Tabularum*, horrendam crudelitatem, mirum in modum, cum laudanda humanitate conjungentibus, obaerati necti solebant, observati tamen praecedente adjudicatione, aut in carcere privato contineri. Qua in re ita procedere solebant: debitori, secundum legis verba (1) postquam aes alienam agnovisset, aut a judice rite et legitime condemnatus esset, XXX dies ad pecuniam conquirendam dabantur, ut eâ satisfaceret creditoribus. Tunc si intra hoc temporis spatium non solvisset; fiebat manus-injectio in foro, propter executionem sententiae (2). Qui debitores, si etiam tunc satisfacere non poterant creditoribus, tamen liberari poterant, si aliquis *vindex* pro iis sponderet. Verum, si hic non a debitore daretur, creditori jus competebat, hunc *domum ducendi*, in privatum carcerem conjiciendi, ibique vinculis vinciendi, (modo nervus aut compedes XV pondo non superarent) ibique illum alere debebat nisi debitor de *suo vivere* mallet. Haec ejus conditio erat per 60 dies; si etiam tunc res transigi nullo modo posset, *tribus Nundinis* (i. e. singulis 9 diebus) debitor poterat a creditore produci in forum, ubi debiti summa renuntiabatur, quia tunc praecipue rustici ex vicinis

(1) Quae servavit AULUS GELLIUS, Noct. Att. 20, 1. »*aeris* »*confessi* (alii: *aeris confesso; reis confessis* sec. BYN»KERSHOEK) *rebusque jure judicatis, XXX dies justi sunto.*"

(2) »*Post deinde manus-injectio, in jus dicito.*" GELL. II.

agris Romam venire solebant, fori obeundi causa. *Vindice* per hoc tempus latente, spatio praeterlapso, *servus creditori* addicebatur. Pluribus vero creditoribus concurrentibus, *corpus debitoris* iis traditum fertur, quod possent pro arbitrio *peregre vendere* aut *in partes secare* (1).

Ita res agebatur usque ad annum 427 U. C. quo L. PAPIRIUS et C. POETILIUS Coss. legem tulerunt (cf. LIVIUS, Lib. VIII, c. 28), »*ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset.*" »*Hinc* (addit LIVIUS) *nexi* (i. e. debitores) *soluti; cautumque in posterum, ne necterentur.*" Salutari hujus legis consilio spreto, rogante L. CORNELIÓ SULLA, dictatore, nova lex lata est: *ut omnes, qui bonam copiam ejurarent, non essent nexi, sed dissoluti.* Hisce legibus debitorum conditio eousque tantum emendata est, ut frenum poneretur libidini creditorum, privatum carcerem exercentium (quem in finem etiam lex salutaris lata est a ZENONE Imperatore (*l.* 1, *et* 2, *Cod. de pri-*

---

(1) Jam multum disputatum est inter viros doctos, praecipue a celebrato van BYNKERSHOEK, de incredibili aut absurda hacce poena, quae exquisitum crudelitatis specimen affert. Qui quum vellent jurisprudentiam Romanam ab tam atra nota immunem servare, locum ex XII Tabulis: »*tertiis Nundinis* »*partis secanto. Si plus minusve secuerint, se fraude esto*" interpretari conati sunt: *de bonorum debitoris sectione.* Verum ex aliis locis docti nostri temporis viri, inter quos JANUARIUS, Ictus Napolitanus, HUGO, BETHMAN HOLLWEG, Bonnensis, hoc revera obtinuisse suspicantur.

vatis carc. inhibend.) et tantum in posterum publicà continerentur custodià. Tandem JULIUS CAESAR, *lege Julia*, succurrit miserae debitorum conditioni, statuens, *ut is*, *qui infortunio*, *absque dolo et culpa*, *aes alienum solvere non posset*, *bonis cedendo a poena carceris liberaretur* (1). Videamus nunc de poena carceris sub Imperatoribus.

Postea, Romano imperio valde aucto, multisque provinciis jure civitatis donatis, quae speciem rationis vivendae patriae ubique referrent, ita ut exules, quibus aqua et igni interdictum erat, non pro gravi malo haberent extra solum patrium libere vagari.

Libertatis amor, quo antea cives tam pie ardebant, valde labefactatus erat, ita ut poena aqua et igni interdictionis vix sufficeret ad deterrendos cives a delictis perpetrandis. Pericula minari poterat etiam exulum ubique dispersorum frequens turba civitati. Haec forte considerans, suadente LIVIA, AUGUSTUS illam poenam mutavit in *deportationem in insulam* ita tamen ut pro re, nomen relinqueret. Verum tamen non erat e republica, qualiscunque criminis accusatos, datis vadibus, libere vagari; post introductam deportationem in insulam, rei debebant in custodia aliqua detineri, ut facilius puniri possent (2) quamobrem satis

(1) L. 1 et 4, *de his qui bonis cedere possunt*. Beneficium cessionis bonorum sensim sensimque abrogatum, a JUSTINIANO restitutum est, qui etiam cavit de *incarcerandis debitoribus in carceribus publicis* (in Nov. IV, cap. ult. et CXXXIV, c. 9).

(2) Publice intererat, delicta illic puniri, ubi commissa essent, ut quod exemplo nocitum esset, poena emendaretur. Recte

verisimile videtur statuere, ab hoc inde tempore frequentiorem factum esse usum carcerum. Non abs re videtur mihi, huc referre leges quas antiquitas circa reorum custodia conservavit et quas praecipue collectas invenimus in Titulo Pandectarum *de reorum custodia;* in Codice *eodem titulo*, aliisque locis, quos indicabimus. Judex aestimare solebat pro gravitate criminis, cujus reus accusabatur; pro praesumtionibus gravioribus aut levioribus, pro aut contra eum militantibus; propter honorem; propter amplissimas facultates (qui scilicet agros habebant, veluti totidem fidei sponsores, in quos igitur fugae suspicio non facile cadèbat) vel pro innocentia (scil. morum integritas et virtus potius etiam quam facultates aut dignitas (1), excipiebant a poena carceris). Argumento

---

etiam SENECA: » *Qui vivi prodesse noluerunt, eorum morte* » *respublica utatur.*" Et uti est in *l.* 28 *ff. de poenis*, § 15: » *ut conspectu punitorum maleficorum deterreantur* » *alii ab iisdem facinoribus et solatio sit cognatis et* » *affinibus interemptorum.*"

(1) *Illustres viri* admittuntur ad cautionem juratoriam. Inter quos recensentur: *Patricii*, *Consules*, *praefectus Praetorio*, *praefectus Urbi*, *magister militum*, *magister officiorum*, *quaestor S. Palatii*, *comes sacrarum largitionum*, *comes rerum privararum*, alii (cf. MATTHAEUS l. l. § 3—7). Nonnunquam etiam contingebat, ut quidam ob *dignitatem*, in domibus magistratuum custodirentur (cf. LIPSIUS, ad TACITI *Annal.* Lib. VI, c. 3, sub finem), qui statuit: praeter carcerem et custodiam militarem alias fuisse: *apud magistratus*, et *apud vades.* Apud magistratus, si reus Consuli, praetori, aedili, interdum Senatori, etiam non e

sunt *lex* 1. *ff. de reorum custodia* (1), (in qua versamur) et MATTHAEUS, de *Criminibus*, ad eundem titulum § 4—7. Sunt aliquae animadvertenda ad totum hunc locum:

I.) Nemo prehendi poterat, neque in carcerem detrudi, nisi jussu competentis judicis, loci, ubi admissum perpetratum fuerat, magistratus (2).

In Urbe intra centesimum lapidem, Praefectus Urbi de criminibus cognoscebat; in Provinciis vero Proconsules, et Praesides gladii potestatem habebant.

II.) Reus prehensus, pro gravitate praesumtionum, adversus eum militantium, custodiri debebat pro criminis ratione; ita tamen, ut non pateretur carceris molestias, sed fidejussoribus locupletibus remitteretur. Quos si non haberet, nisi in casu gravioris sceleris,

---

magistratu, committeretur. Hoc inprimis usuvenire solebat in reis et Senatoribus illustrioribus. Haec dicebatur: *libera custodia*, (SALLUSTIUS, Catil. 47; CICERO in BRUTO, 96); ubi *liberalis custodia* opposita videtur *servili custodiae* — *φυλακὴ ἄδεσμος* (sine vinculis) *Custodia apud vades* (quam l. 1. ff. de custod. reor. indicare videtur verbis: »*vel fidejussoribus*") erat, quum illorum periculo reus fidejussobus tradebatur.

(1) Lex I. Pandectarum de reorum custodia. »*De custodia* »*reorum proconsul aestimare solet, utrum in carcerem* »*recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejus-* »*soribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel* »*pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter* »*honorem aut propter amplissimas facultates, vel pro* »*innocentia personae, vel pro dignitate ejus, qui accu-* »*satur, facere solet.*" Cf. et CARPZOVIUS, Pract. Crim. Pars III, quaestione 111, 23; et Art. 18, C. C. C. ibi laud.

(2) L. 7 ff. de reor. custodia.

[redacted]

in libera custodia manere debebat. Confessus reus in vincula publica conjiciebatur (1).

III. Quod ad praesumtiones, si privatus homo accusabat, inscriptio in crimen satis grave praebebat argumentum, ut judex, pro qualitate criminis, custodiam gravem aut leviorem decerneret. Judice vero ex officio inquirente in crimen, post delationem, praeter hanc, testes requirebantur, secundum quorum indicia, pro gravitate, reus custodiri jubebatur (2).

Jam supra agitavimus quaestionem: *utrum Romani carceris custodiam pro poena adhibuerint, necne?* Quod ad priora tempora et CICERONIS aetatem, vix superest dubium, post locos scriptorum et ipsius CI-

---

(1) L. 5 ff. de reor. custod. Neque opus est, aliquem duriore poena plecti, quam meretur, dum alia adsunt remedia et animum judicii eludendi nequaquam ostendit. Cf. et CARPZOVIUS. l. l.

(2) Antiquitus obtinuit, ut etiam accusator ipse una cum reo deberet custodiae mandari, dum sese per subscriptionem in crimen ad similitudinem supplicii, si succumberet, devinciebat. Argumento est *l. ult. Cod. de Accusat.* Summus sane fuit justitiae sensus, qui legumlatores movebat, ut sic deterrerent a falsis accusationibus homines. Sed quum hodie abolita sit inscriptio illa in crimen et accusationes privatae vices mutaverint cum accusatione publice instituenda a personis huic rei addictis, cessavit etiam accusatorum incarceratio. Vestigia hujus antiquioris usus illustria invenire licet in statuto *societatis Anglicae* privilegio, quo ille, qui unum sociorum accusavisset, ipse in custodia manere debebat, donec accusatio probata esset. Cf. Groot Placaet-Boeck II, 6 Tit., I Deel: *raeckende d'adventurien van de Engelsche Natie*, Pag. 756. VOET ad Pandectas ad *tit. ff. de custod. reorum.*

CERONIS citatos. Quid hac in re, Imperatorum aetate obtinuerit videbimus.

De servis praesertim et de libertis ingratis, qui nonnunquam in ergastula v. lautumias conjiciebantur, nullum est dubium, quin potuerint ad perpetua vincula damnari. Argumento est *l.* 10 *Cod. de poenis.* Etiam liberos homines ad vincula damnari potuisse, si quidem non ad vincula perpetua, patet ex locis PAULI (*Recept. Sent. Lib. V*, *Tit.* 17, § 3), ubi inter minimas poenas etiam *vincula* recenset. Porro in loco ULPIANI (*L.* 3, § 16, *ff. de susp. tut. et cur.*), ubi *vincula publica*, et *L.* 1, § 4, *ff. de aleatoribus*, ubi *lautumias* (i. e. carcerem) et *vincula publica* legimus. Imo locus ambiguus ULPIANI (*L.* 8, § 9, *ff. de poenis*) si eum de vinculis *temporariis* accipimus, huc facit ad sententiam confirmandam. Quis Imperatorum vincula perpetua abrogaverit, non constat. TIBERIUS enim, teste SUETONIO, multos vinculis perpetuis punivit.

Ex loco CALLISTRATI (*L.* 35 *ff. de poenis*) patet, HADRIANUM confirmasse mandata principalia ad praesides, quibus abrogata sunt. Vincula etiam saepius addebantur (1), et reus cogebatur ex vinculis causam

---

(1) Solebant etiam Romani committere reos, arbitrio judicis, *militi* custodiendos (cujus rei contrarium vero suadet TRAJANUS apud PLINIUM), sed non facile tradebant illos *tironi* (i. e. militi nondum in numeros relato, novicio) nam si evaderet reus, aut per misericordiam, aut per negligentiam custodientis, vel corrupto, pecunia data, milite, non tam tironi, quam et ei imputari poterat, qui ei illam commisit (*l. ult. ff. de reor. cust.*). Malebant reum tradere duobus militibus

dicere; quod fiebat praesertim in servis capitis damnatis, nec a domino defensis. Idem obtinebat in eo, cujus criminis gravitas postulabat etiam catenarum acerbitatem. Ceteroquin reus exhibitus prolixioribus catenis, non gravibus ferreisque manicis vinciri debebat (1). Vel erant etiam vincula publica sine carcere. Hoc obtinebat, quando quis loco commodo compediebatur, ceteroquin non ad reos publice continendos destinato (2). Saepius etiam rei apparitori vel lictori commendabantur, qui debebat humane et mitiore ratione curam illorum habere. Argumento est *L.* 1. *Cod. ad Senatusc. Turpillianum*, ubi ANTONINUS Imperator loquitur de accusato *sub custodia officii facto*. Quae traditio *custodiae officii*, solebat antecedere in carcerem dationem, imo diversissima erat (3).

---

custodiendum. Distinguebant autem inter *custodiam liberam* et *vinculorum custodiam;* quando scil. militibus alligati essent catenis rei vel minus. Hujus liberae custodiae exemplum praebent literae sacrae: *acta Apostolorum*, *cap.* 28, *vs.* 16. »*Cum autem venissemus Romam*, *permissum* »*est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.*"

Vinculorum custodiae strictissimae, in ipso carcere, exemplum: Ibidem, cap. 12, vs. 6.

»*Cum autem producturus eum esset Herodes*, *in ipsa* »*nocte erat Petrus dormiens inter duos milites*, *vinctus* »*catenis duabus: et custodes ante ostium custodiebant* »*carcerem.*" Cf. etiam l. 2. Cod. *de Exactor. tribut.*

(1) L. 1, Cod. *de custod. reor.*

(2) Horum vinculorum publicorum frequentior est usus, quando rei de loco in locum transportantur, ut in damnatis ad triremes usuvenit.

(3) L. 8, Cod. *de abolitionibus.*

Restat, ut videamus, quinam in civitate magistratus, primis temporibus curam habuerint carcerum, eorumque qui carceribus includerentur. Inde transibimus ad salutares, quae hac in re obvenerunt emendationes, sub Imperatoribus Christianis. Qua in re non possumus omittere sollicitudines et querelas egregii viri LIBANII, qui mihi hac in re praecipuus auctor videtur factus, ut excellentes Imperatores sollicitam curam ei adhibuerint, quique multis in rebus non injuste comparari potest cum altero humanitatis decore: JOANNE HOWARDO.

Antiquissimis temporibus, teste POMPONIO (1), *triumviris capitalibus* mandata est carceris et latomiarum custodia; (i. e. non ipsi custodibus inferioribus aequiparandi erant). Nam quod legimus apud SALLUSTIUM: *vindices rerum capitalium* LENTULO *gulam laqueo fregisse*, certe non accipiendum est de ipsis triumviris *capitalibus*, *sed* de illorum ministris, 8 numero, lictoribus, *quibus hoc praeceptum erat.*" Apparet ex locis Livianis (Lib. XXV, c. 1. et Lib. XXXII, c. 28), *triumviros capitales* inter magistratus minores numeratos fuisse. A custodibus carceris expresse distinguuntur apud VALERIUM MAXIMUM (2). Hisce vero praeerant et mandabant: *ut eorum interventu animadverteretur*, uti est in *l.* 2. *ff. de O. J.* § 30, *fine.* Creati videntur anno U. C. 465. Auctor nobis est CICERO, triumviros capitales de illorum scelere cog-

(1) L. 2. ff. *de O. I.* § 30.
(2) Lib. V. c. 4.

noscere solitos fuisse, qui quamvis cives Romani non essent, tamen in Urbe habitarent, et de vilioribus hominibus, de servis delinquentibus. Quaestionibus perpetuis nondum introductis, videntur etiam de aliorum maleficorum scelere cognovisse.

Republica vero ad unius arbitrium redacta, *Praefecti Urbi* instituti sunt, qui secundum *l.* 1. § 4 *ff. de Offic. Praef. Urb.* jus habebant animadvertendi in *omnia*, *quae admitterentur*, i. e. inquirendi in crimina. Per indirectum et *reorum custodia* ad eos pertinebat. Latrones a *Stationariis* indicatos capi jubebant per apparitores carcerique mandari *Praesides*, *Praefecti* et *Proconsules* in provinciis. Hi *Stationarii* erant milites in certis locis collocati, primum ab AUGUSTO instituti, quibus praeerat *Irenarchus*. In carcerem non poterant aliquem conjicere, sed fugitivos deprehensos in custodia retinere. Remoti, ut pacis turbatores a THEODOSIO et HONORIO, restituti sunt a JUSTINIANO. De *Commentariensi* ejusque ministris videbimus ad locum, ubi loquemur de poena carceris sub Imperatoribus Christianis. (v. c. ad *l.* 5 *Cod. Theodos.*) Videamus nunc de ipsis Imperatorum Christianorum legibus, quae maximam partem inveniuntur in *Codice Theodosiano* (1). Singulas leges recensebimus, addentes nonnullas animadversiones, huc pertinentes. Qua in re simul meritas LIBANII laudes silentio obtegere dubitaremus.

(1) Cf. ad leges *Codicis Theodosiani* viri egregii GOTHOFREDI editio.

ANIMADVERSIONES.

CONSTANTINUS MAGNUS hac humanissima Constitutione prospicere conatus est:

I.) Ut causa reorum, in carcere morantium illico tractaretur; II.) Ut omnis crudelitas abesset; III.) Ut

---

DE CUSTODIA REORUM

Lib. IX, Tit. III, Codicis Theodosiani correspondet *Tit° IV, Lib. IX, Cod. Justin.*

LEX I (Aurea).

Imp. Constantinus ad Florentium Rationalem.

»*In quacunque causa reo exhibito, sive accusator existat sive eum publicae sollicitudinis cura perduxerit, statim debet quaestio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur. Quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum praesentia necessaria videatur, id quidem debet quam celerrime procurari. Interea viro exhibito, non ferreas manicas et inhaerentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas, ut et cruciatio desit et permaneat fida custodia. Nec vero sedis intimae tenebras pati debebit inclusus, sed usurpata luce vegetari: et ubi nox geminaverit custodiam, vestibulis carcerum et salubribus locis recipi; ac revertente iterum die, ad primum solis ortum illico ad publicum lumen educi, ne poenis carceris perimatur, quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse cognoscitur. Illud etiam observabitur, ut neque his qui stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere, et innocentes intra carcerum septa leto dare aut subtractos audientiae longe tabe consumere. Non enim existimationis tantum sed etiam periculi metus judicii imminebit (in Cod. Justin.* judici), *si aliquem ultra debitum tempus inedia aut quocunque modo aliquis stratorum exhauserit: et non statim eum, penes quem officii custodia est, atque ejus ministros capitali poena subjecerit.*''

et sanitatis eorum cura haberetur (eodem respicit *l.* 7. *Cod. Theodos.* HONORII Imp.) IV.) Cavit contra potestatis abusum officialium, carceri praepositorum, eorumque avaritiam. *Rationalis*, ad quem loquitur in hacce lege Imperator, fungebatur munere Praesidis. Quod initio hujus legis dicit: *sive accusator existat, sive eum publicae sollicitudinis cett.* hisce verbis indicare videtur privatos accusatores reorum et eos qui publice, ex officio, in hunc finem constituti erant (de quibus jam vidimus supra) v. c. *Curiosos*, *Stationarios* s. milites in aliquo loco, pacis tuendae et reorum carcere continendorum causa constitutos cum praefectis *Irenarchis*. I.) Igitur ut vidimus, cavit Imperator, ut causa reorum in carcere morantium quam celerrime tractaretur, verbis: *statim debet quaestio fieri cett.* ne rei, pendente judicio, *custodia claustrisque poenalibus consumantur* (ut loquitur AMMIANUS MARCELLINUS). Cui humanitati respondet *l.* 6. *Cod. Theod.* GRATIANI, VALENTINIANI et THEODOSII. Quo loco non possumus non afferre locum LIBANII in Oratione περὶ τῶν δεσμωτῶν ad THEODOSIUM M. habita (quae oratio exstat in GOTHOFREDI operibus minoribus juridicis) qui inter primas inhumanitatis species, quae erga vinctos, illis temporibus exercebatur, recenset: miram facilitatem judicum, qua accusatos in carcerem mitterent, et negligenter versarentur in munere suo adeo ut, dum voluptatibus indulgebant et honores Imperatori debitos praetexebant, hisce impediri prae se ferrent, quominus possent attendere ad causam reorum tractandam.

Indignabundus persequitur LIBANIUS: »*Inde igitur* »*plenus quidem carcer corporibus, nullo egrediente,* »*vel paucis admodum; multis vero ingredientibus. Hinc* »*et geminum malum admittitur et eo ipso quod vin-*»*ciantur et quod ita vinciantur: neque enim vel som-*»*num commode capere licet, neque jacere licet recli-*»*natos, sed quantum stantes capessere possunt* (1), *tantum etiam habent.*"

Inprimis igitur urgens factus est auctor THEODOSIO LIBANIUS, et ipse hac lege jam senserat illud CONSTANTINUS M., ut reo carcere incluso, statim de ejus causa ageretur, quam primumque huic rei judex vacaret; ut si noxius deprehenderetur, statim puniri, si innocens, absolvi posset. Quem secutus, THEODOSIUS hac de re l. 6. cavit verbis: *sancimus, ut aut convictum* cett.

Sic et *Commentariensis* jubetur in l. 6. Cod. *ut semper intra trigesimum diem judici significet (suggerat) reorum nomina.* Praeterea, si accusator aut socii criminis forte ejusdem absint, exspectandi sunt; sed quam celerrime arcessantur (2). II.) Cruciatio ut de-

(1) Et sic in graves, per putridas exhalationes morbos incidebant captivi, imo inde mors sequebatur. Audiendus est inprimis hac de re J. HOWARD, *Account on the Gaol-Fever.*

(2) Cf. infra *L. 7 Cod. Theod.* CONSTANTII verba »*ut rei intra* »*unius mensis spatium audiantur.*" Intra annum omne criminale judicium debebat peragi. *l. 2. Cod. Th. ut intra ann.* Quod deinde mutavit JUSTINIANUS (*l. 3. Codicis ut intra cert. temp.*) jubens, ut omnes causae criminales intra biennium finirentur. Sed hoc ita accipiendum videtur, ut si reus carcere contineatur, delatione ex officio, a publico accusatore facta, intra sex menses judicari debeat; sin ab accusatore, utente inscriptione, intra annum.

sit in carcere, vetuit CONSTANTINUS usum graviorum catenarum (numellarum): quibus Christiani a gentilibus vinciebantur, uti PAULUS et SILAS. (*Acta Apost.* c. 16 et 24.) CHRYSOSTOMUS queritur, non tantum captivos in carcere catenis vinctos, sed et in judicium, iis oneratos, ductos fuisse. III.) Cavit de captivorum sanitate CONSTANTINUS M. Salva fida custodia, permissum sit captivis commode ambulare et sese movere, levioribus quippe catenis vinctis. Non hic intelligenda est catena, quacum simul et miles, carceris custos, alligabatur captivo (exemplo sint *Acta Apostol.* c. 28 et 16). Jam stante Republica Romana, teste LIVIO (1), in carcerem missi vinculis onerabantur. Verba: *nec vero sedis intimae tenebras* cett. significant: internam carceris partem (2); in quam reus

(1) Lib. III, c. 58.

(2) »*Antrum carcereum*" appellatur apud PRUDENTIUM (Lib. II contra SYMMACHUM Vs. 496.) »*Densae specum caliginis*", Vs. 350. Ἐνδοτέρα φυλακὴ (CHRYSOSTOMUS). »*Ima custo-* »*dia in carcere Tulliano aderat, unde putor horribilis* »*adscendebat. In hoc erat ima et lutea et ita tenebri-* »*cosa custodia, ut penitus lucifluus aër nec vestigium* »*aliquod lucis ostenderet* (Acta CHRYSANTII). *Audi porro* »PRUDENTIUM (Hymno V, Vs. 238).

»*Lugubre in antrum truditur;*
»*Ne liber usus luminis*
»*Animaret altum spiritum.*
»*Est intus imo ergastulo*
»*Locus tenebris nigrior,*
»*Quem saxa mersi fornicis*
»*Angusta clausum strangulant.*
»*Aeterna nox illic latet,*
»*Expers diurni sideris:*
»*Hic carcer horrendos suos*
»*Habere fertur inferos.*"

detrudebatur, quaeque, ut in Tulliano, in omni carcere aderat. *Usurpatâ luce vegetari*: id est usurpando lucem, utendo luce, vivere in carcere. *Ubi nox geminaverit custodiam* i. e. quum nocturno tempore custodia geminatur, duplicatur. Nocte rei recipiantur vestibulis (i. e. conclavibus, cellulis) carcerum, ut salubribus locis; revertente vero die, ad primum solis ortum, illico ad publicum lumen, scil. carceris *aream* (apud Gallos le préau) educantur. IV.) Cavit etiam contra potestatis abusum officialium et contra crudelitatem carceris custodum, inprimis Stratorum, quibus reorum custodia commissa erat, penes *quos officium custodiae erat.* Fuerunt hi ex Officialibus sive ex Officio Rectoris provinciae. Jam de crudelitate et avaritia Commentariensium queritur LIBANIUS, pro lychnis praebendis incarcerato pecuniam postulantium, et pauperibus, qui solvere non poterant verbera infligentium.

Audiamus ipsum facundum humanitatis fautorem: »*Neque haec solum, verum et ea, quae oportet ab* »*uno quoque pendi Commentariensi quidem, ut vel* »*unum lychnum omnibus praebeat (pauci autem is olei)* »*magnum pretium postulanti: qui autem pauper est,* »*propter inopiam statim plagis afficitur et etiamsi ver-*

Apud Gallos *cachot*, *croton*. Edictum CAROLI IX prohibebat: »*faire des prisons plus basses que le rez-de-chaussée.* — »*Le haut justicier doit avoir en sa justice bonnes pri-* »*sons, sûres et raisonnables, basties à rez de-chaussée;* »*sans user de fers, ceps, grillons, grues ou autres in-* »*strumens semblables.*" *Coutume de Mélun* Art. 5.

»beratus dicat: heu mihi, o carceris hujus, atque in »eo jacentium praefecte; praeter hoc corpus nihil est, »non parentes, non liberi, non amici: unde lychni »igitur pretium darem, nisi e terra eruam, neque est »qui inferat? Posteaquam haec dixit, audit: cur »non vocas per vinctos egredientes mulierum huc ali»quam ex iis, quae pro humanitate ad hujusmodi sub»sidia promptae sunt (1), *indeque in genua procidens »persuade rogando, ut tale quid tibi afferat?"*

Addamus et sequentia, quae aeternum monumentum humanitatis THEODOSII constituunt et pulcherrimum mitis indolis testimonium: *»Hoc vero hic qui»dem potuit, hic vero non: cui autem non datur ac»cipere, flagellari sufficit. Lachrymaris o Imperator; »multa bona tibi eveniant, propter eximiam bonita»tem: et ego per Jovem omnesque Deos, hoc videre »exspectabam!"*

Animadversiones ad l. II. Cod. Theod.

Ne judices immodice saevientes, injustam sententiam dicerent, neque facile reos mortis damnarent,

---

Lex II Cod. Theodos.

» Si quis in ea culpa vel crimine fuerit deprehensus, quod »dignum claustris carceris et custodiae squalore videtur, au»ditus apud Acta, cum de admisso constiterit, poenam car»ceris sustineat, atque ita postmodum eductus apud Acta »audiatur: ita enim quasi sub publico testimonio commemo»ratio admissi criminis fiet; ut Judicibus immodice saevienti»bus freni quaedam adtemperies adhibita videatur.

(1) *Diaconissas* designat; quae praeter alia humanitatis officia etiam captivorum curam exercebant.

clam investigantes de eorum admissis, CONSTANTINUS hacce lege jubet: *ut iteretur criminale judicium et publice hac de re agatur; et si dignus claustris carceris et custodiae squalore videatur, audiatur apud Acta et poenam carceris sustineat.*

Animadversiones ad l. III. Cod. Theod.

Salutari hacce lege voluit promiscuam utriusque sexus in carcere custodiam impedire CONSTANTIUS Imp. Honestatis causa monasteria, ex PLATONIS praecepto (*Legg.* Lib. VII), in duas partes distinguere coeptum est, uti et coenacula et balnea; quod jusserunt inprimis HADRIANUS, M. ANTONINUS et ALEXANDER SEVERUS (1). Verba in lege: *poenae qualitas* accipienda sunt de ipsa carcerum distinctione in carceres pro criminis et poenae qualitate diversos. Feminae licet jure novissimo Justinianeo in carcerem conjici non potuerint, sed vel ob crimen levius fidejussoriae vel juratoriae cautioni permitti; vel ob gravius crimen in monasterium vel asceterium mitti, aut mulieribus tradi solebant, donec causa illarum manifestaretur, nullo tamen modo viris custodiendae tradi poterant, ne hisce occasionibus illarum castitas exponeretur. Postea tamen restitutum est jus civile quo, aeque atque viri in

---

LEX III (Cod. Theod.)

» *Quoniam unum carceris conclave permistos secum crimino-*
» *sos includit: hac lege sancimus, ut etiamsi poenae qualitas*
» *permistione jungenda est, sexum tamen disparem diversa*
» *claustrorum tutamina habere jubeatur.*"

(1) Cf. et AULUS GELLIUS *Noct. Att.* Lib. X, c. 3.

carcerem dantur, *separato tamen a viris claustrorum tutamine* (1).

Animadversiones ad l. IV. Cod. Theod.

Hacce lege providere conati sunt VALENTINIANUS et VALENS Imperatores: ut inscriptio accusatoris rei in carcerem missionem praecederet (2). *Codex publicus*, de quo haec lex loquitur, erat in quo solemnia inscriptionis implebantur sive commentarii publici, quibus conficiendis Commentariensis praerat, in quibus nomina reorum quaeque ad eorum accusationem pertinebant, annotabantur. Haec acta olim ad aerarium sive aedem Saturni deferebantur, teste SUETONIO (3).

Animadversiones ad l. V. Cod. Theod.

Hanc legem tulerunt VALENTINIANUS, VALENS et GRA-

LEX IV. (Cod. Theod.)

» *Nullus ante carceris custodiae mancipetur, quam ab eo, » qui in accusationem ejus erupit in codice publico, solemnia » inscriptionis impleta sint.*"

LEX V. (Cod. Theod.)

» *Ad commentariensem receptarum personarum custodia ob- » servatioque pertineat: nec putet hominem abjectum atque » vilem objiciendum esse judiciis, si reus conditione aliqua » fuerit elabsus. Nam ipsum volumus ejus poena consumi, » cui obnoxium docebitur fuisse, qui fugerit. Si vero com- » mentariensis necessitate aliqua procul ab officio egerit, Adju- » torem ejus pari jubemus invigilare cura et eadem statuimus » legis severitate constringi.*"

(1) L. 3, *Cod. de reor. custod.*

(2) Cf. et L. 8, 9, 11, 14, *Cod. Theod. de accusat.* et *inscript.*

(3) *Vita* DOMITIANI c. 9.

TIANUS Imperatores. *Commentariensis* erat officialis illius judicis, ad quem pertinebat reorum et carceris custodia (*L.* 5, *C. Th.* »*de iis quae administrantibus*") quae lex verbis »*qui Commentariensium nomine, exosa miseris claustra custodiunt*," et FIRMICUS MATERNUS qui in libro *Matheseon* dicit: *cornicularii aut Commentarienses, quibus damnatorum cura committatur, seu clavicularii vel carcerum custodes, quibus publicarum catenarum cura mandatur* (Κομμενταρήσιος) illud affirmant. Interdum fungebatur Commentariensis *Stratoris* munere et Commentarios de rationibus custodiarum et damnatorum et illorum alimonia conficiebat (s. Codicem publicum, de quo in L. 4 agitur). Item recipere debebat inscriptionem in crimen (τὰς ἐγγραφὰς. HESYCH.) In lege 6ª Commentarienses conjunguntur cum *optionibus* i. e. carceris praepositis. Item acta criminalia ad officium Commentariensis pertinebant (1). Huic subditi erant *clavicularii* v. *clavicarii*, homines plerumque abjecti et viles, quique etiam audiunt: *ministri ferales*, (*L.* 6, *Cod. Theod.*) *feralis janitor*, *janicularii*, qui claves curabant januarum carceris (ὁ δεσμοφύλαξ, ὁ καὶ κλαβικλάριος: postea dicebatur καπικλάριος) (2). De hisce agit MANILIUS (*Libro* V.) (3). Porro, si Commentariensis, publici negotii causa, abesse debebat v. c. ad sontes comprehendendos, vel interrogandos reos ad

---

(1) Jure vetere Franc.: » *celui qui tient le papier des Escroues.*"

(2) Fr. clavendiers, geoliers, gardes des prises — geauliers, Angl. gaoler, jailer, — nostrat. cipier.

(3) » *Carceris et duri custos quo stante superbe*
» *Prostratae jaceant miserorum in limine matres.*"

Tribunal duceret, acta delinquentium et responsa in Commentarios referret, ministris utebatur inferioribus. Ipse Commentariensis tenebatur de captivorum fuga (1), nec poterat culpam in »*hominem abjectum* »*atque vilem*" (uti in textu legis) rejicere, sed et ipse praestabat personam rei, imo eadem poena plectendus erat, vel (uti est in *L.* 7, *Cod. Theod. de accusat.*): » *reciprocos poenae sortiebatur incursus.*"

Animadversiones ad l. VI. Cod. Theod.

Hacce lege, a GRATIANO, VALENTE, THEODOSIO lata inprimis voluere diuturnos carceres moderare, ita ut saltem non nimis diu expositi essent detenti in carcere inhumanae custodum tractationi aliisque miseriis. Nam quum generatim carcer apud Romanos magis ad con-

---

Lex VI. (Cod. Theod.)

» *De his quos tenet carcer, id aperta definitione sancimus,* » *ut aut convictum velox poena subducat aut liberandum custodia diuturna non maceret. Temperari autem ab innoxiis* » *austera praeceptione sancimus: et praedandi omnem segetem* » *de negligentia judicum provinciarum ministris feralibus amputamus; nam nisi tricensimum diem semper Commentariensis ingesserit numerum personarum, varietatem delictorum,* » *clausorum ordinem, aetatemque vinctorum, officium XX auri* » *libras aerario nostro jubemus inferre: judicem desidem ac* » *resupina cervice titulum tantum gerentem, extorrem, impetrata fortunâ, X auri libris mulctandum esse censemus.*" Junge c. h. lege L. 3, *Cod. Theod. de exhibendis reis* et L. 2, *Cod. de reor. custod.*

(1) Convenit hac in re Jus Gallio. vetus: » *le geolier est tenu* » *de représenter le prisonnier ou de payer tous despens,* » *dommages et interests.*"

tinendos quam ad puniendos homines usurparetur, omnis duritas et inhumanitas custodum, victus defraudatio, nimis arcta et squalida in tetro loco custodia, abesse debebat »*ne rei macerentur et carcere quasi peri-* »*mantur.*" Facunda metaphora utuntur Imperatores (uti et THEODOSIUS in *L* 3. *Cod. Theod. de exhibendis* reis, fere simili utitur): »*nulla remanente apud eum, qui ad* »*exhibendum missus est* (scil. apparitorem, advocatum) »*copiâ nundinandi;*" (quasi in nundinis opem liberationis vendendi), ut omnem occasionem depraedandi et abutendi misera conditione captivorum, pecuniae illis eliciendae a parte custodum praeciderent. Porro enixe Commentariensi varias officii partes praeceperunt. Ne, quod terribile est, sed quod aliquando accidisse docet historia, captivi oblivioni mandarentur et sic teterrima inediae morte perirent (1), si diu inauditi versati essent in carcere, Commentariensi mandabatur, ut intra 30um diem (i. e. per singulos dies menstruos usque ad 30 diem; CUJAC. c. 10. *de praescription.*) ingerat (i. e. judici renunciet) numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordinem (2), aetatem vinctorum, statuiturque insuper

(1) Etiam recentioribus temporibus, legimus, nonnunquam captivos expresse traditos fuisse oblivionis poenae in carcere. Hoc testantur inter alios: MARCHIO DE LATUDE in scriptis ejus (Tomo I, p. 118). Quam poenam minatus est etiam CARRIER generoso magistratui Condatensi (Rennes) LEPERDITO. Qui carceres, ubi captivi oblivioni tradebantur, audiunt etiam Gallice: *oubliettes*.

(2) *Ordinem*, quod audit apud CICERONEM, in Verrem, V: »*Rationem carceris diligentissime confici, quo quisque* »*die datus sit in custodia.*"

mulcta XX. auri librarum contra Commentariensem haec negligentem, et poena mulctuaria in judicem, resupina cervice tantum titulum gerentem, (ὑψαύχενα) in exilium (extorrem) missum, salvis bonis, (impetratâ fortunâ) (1), X. auri librarum. Ceterum hanc THEODOSII legem LIBANIUS Sophista, in oratione, circa finem indigitare videtur.

Animadversiones ad l. VII Cod. Theod.

Aurea haecce HONORII et THEODOSII Impp. lex commode in tres partes distinctas dividi poterit, quarum prima judices; secunda alimoniam et avaritiam Commentariensium prohibendam; tertia captivorum munditiem, salva fida custodia, spectat.

LEX VII. (Cod. Theod.)

» *Judices omnibus Dominicis diebus productos reos e custodia » carcerali videant, interrogent, ne his humanitas clausis per » corruptos carcerum custodes, denegetur: victualem substantiam » non habentibus faciant ministrari libellis duobus, aut tribus » diurnis, vel quod aestimaverint commentariensi decretis, quo» rum sumtibus proficiant alimoniae pauperum, quos ad lava» crum sub fida custodia duci oportet: multa Judicibus XX libra» rum auri: et* OFFICIIS *eorum, ejusdem ponderis constitutâ;* » ORDINIBUS *quoque, trium librarum auri multâ propositâ, » si saluberrime statuta contempserint. Nec deërit Antistitum » Christianae religionis cura laudabilis, quae ad observationem » constituti Iudicis hanc ingerat monitionem.*"

Cf. etiam l. 9. *Cod. Just. de Episcopali Audientia.*

(1) Uti alibi: » *disponendas res suas componendosque moestos » penates.*"

I.) Judices jubentur prohibere, ne custodes ab accusatore corrupti, crudeliter tractent in carcere detentos. Dies Dominica ob solennitatem huic operae *misericorditer* eligitur (1). *Episcopis* postea injunctum ut *feria quarta* (i. e. die Mercurii) et *feria sexta* s. *Parasceue* (die Veneris) (2), custodias invisant, imo praesidum negligentiam Principi deferant (3).

II.) De *Alimonia* (quam vocant Impp. in lege *victualem substantiam*) (4). In hanc rem I vel 2 pro rei necessitate, (si nempe de suo vivere non possit reus), quot Judex aestimaverit, discruas libellas (i. e. non pondus aliquod panis, sed nummum argenteum et decimam sestertii s. denarii partem pro singulis pauperibus incarceratis Commentariensi decerni jussum est, ex quarum pretio possit hic pauperibus alimoniam praebere. Jam olim pauperibus detentis in carcere diarium sive panem e publico praebitum fuisse, patet ex M. ANNAEO SENECA, *Controv.* Hacin re convenit cum L. ANNAEI SENECAE loco (5). Ejusdem humanitatis vestigia praesto sunt in legibus XII Tabularum, ceteroquin tam duris;

---

(1) Convenienter *Concilii Aurelianensis* decreto, quod citavimus supra.

(2) »Vel diebus dicatis *semi-jejunio et castui.*" TERTULLIANUS *de jejuniis*, I.

(3) Cf. l. *ult. Cod. Just. de reor. custodia*, § 1 et 5. et l. 22. *Cod. de Episcop. Audient.*

(4) Apud TERTULLIANUM audit: *exhibitio*; apud SENECAM: *alimenta carceris.*

(5) Lib. IV, *de Beneficiis*, C. 28. »*Frumentum publicum tam* »*fur, quam periurus et adulter accipiunt, sine delectu* »*morum, quisquis civis est, cum aliquid est, tanquam* »*civi, non tanquam bono datur.*"

ubi de debitore nexo cautum invenimus: »*Si volet, suo* »*vito, ni suo vit, qui em vinctum habebit libras faris* »*endo dies dato: si volet, plus dato*" (sec. GOTHOFREDUM) (1). VALENTINIANUS Imp. deinde mulctas exegit ab Ecclesiasticis, in usum pauperum destinatas, (*L.* 20. *Cod. Theod. quorum appellat. non recip.*) Tandem THEODOSIUS M. hac lege, uti et *L.* 7. *Cod. Theod. de libellis praebendis*, penitus voluit captivorum miseriis succurrere, sine dubio instigatus facundis LIBANII verbis, qui et de avaritia custodum carceris horrenda refert. »*Jam unde iis alimenta? Lentem scil. in le-* »*betibus et olera, et siquid his accedit minimum, haec* »*plus justo sufficere ajunt: necesse vero, uxores et* »*sorores et filias, quibus ab iis ipsis, cum nondum* »*inclusi essent, alimenta praebebantur, illas ipsos esse* »*quae illos nutriant. Unde vero, o Imperator? Non* »*enim est verisimile ipsas vinculis illorum opulentiores* »*factas esse. Reliquum igitur est, ut deformes seniove* »*confectae mendicent, eae vero, in quibus aliquid ve-* »*nustatis est, omnia perferant* (2). *Haec ergo vinctis*

---

(1) In custodia carceris vel militari, accusatoris sumtibus debebat vivere reus, si insons appareret; sin nocens, propriis, si habeat; alioquin publicis. VOET ad *Pandectas* (*tit. de cust. reor.*). Si judex, sine accusatore, in reum inquirat, necessarium erit, ut fiscus alimenta praestet. MATTH. op. l. ad Tit. *de reor. cust.* N°. 11.

(2) I. e. quod cogebantur sese prostituere custodibus, in gratiam captivorum, ut hi vel hac alerentur! Hunc in finem statutum fuit: ut dispendio puniretur commentariensis femina incarcerata abutens. CLAR. *Sent.* 5, § *fornicator cum incarcerata.* GOTHOFR. Nott. ad L. 4, *Cod. Just. de custod. reor.*

»*carcere* (*ipso*) *amariora: de quibus certe oportet illos* »*percunctari et discere unde haec ipsis proveniant.*"

III.) Munditiei et simul sanitati provisum est. Eo scil. processit humanitas in animis excellentium illorum Imperatorum, ut (omissis hic quae jam CONSTANTINUS M. decrevit) (1) et lavacris et munditiei corporis captivorum prospiceretur (quae res etiam posteriorum temporum laudes egregie meretur), ad eluendum squalorem (2), sive sordes in carcere contractas, sub fida tamen custodia.

Summa crudelitas jam olim exercebatur horrenda institutione *privatorum carcerum*. Praesertim hoc Romae vigebat, tempore XII Tabularum, patriciis saevientibus in miseros plebejos debitores; cujus facundam descriptionem invenire licet apud NIEBUHRIUM *Hist. Rom.* (loco jam supra citato). Cui horrori impediendo inprimis proderat ZENONIS Imperatoris Constitutio (3)

---

(1) Scil. in l. 1. *Cod. Theod.*. h. l. inde a verbis: »*Nec vero* »*sedis intimae*," cett.

(2) L. 2. *Cod. Theod. de custod. reor.*

(3) In *Cod. Justin.* Lib. IX, Tit. V, de *privatis carceribus inhibendis.* »*Jubemus nemini penitus licere per Alexan-* »*drinam splendidissimam civitatem vel Aegyptiacam dioe-* »*cesin, aut in quibuslibet imperii nostri provinciis,* »*vel in agris suis, aut ubicunque domi, privati carceris* »*exercere custodiam: viro spectabili pro tempore Prae-* »*fecto Augustali, et viris clarissimis, omnium provin-* »*ciarum Rectoribus daturis operam semperque futuris* »*in speculis, ut saepe dicto nefandissimorum hominum* »*arrogantia modis omnibus opprimatur. Nam post hanc* »*saluberrimam constitutionem, et vir spectabilis pro tem-* »*pore Praefectus Augustalis, et quicunque provinciae*

adeo, ut qui hoc crimen commisisset, aequipararetur reo laesae majestatis, scil. quia Imperatorium jus exercebat circa carceres, huic soli competens, aut quia sese *pro magistratu* gerebat; (quod facit ille, qui privatum carcerem exercet et *nefandissimorum hominum arrogantiam ostendit.* (Cf. et l. 5, 8. *ff. ad legem Juliam de vi publica.*) Notandum, quod haecce ZENONIS constitutio, uti et Tit. 11, Libri IX *Cod. Theod.* praecipue directi sunt ad Dioecesin Aegyptiacam s. Alexandrinam; quae quum esset seditionum nutricula, non dubium est, quin ibi potentiores in civitate, in infirmiores saevierint.

» moderator, majestatis crimen procul dubio incursurus » est, qui cognito hujusmodi scelere, laesam non vindi- » caverit majestatem. Primatibus (scil. officiorum) insu- » per ejusdem criminis laqueis constringendis: qui simul » atque noverint memoratum interdictum facinus in quo- » cunque loco committi, proprios Judices de opprimendo » nefandissimo scelere non protinus curaverint instruen- » dos. Nam illud perspicuum est, eos, qui hoc criminis » genus commiserint, etiam pro veterum legum et consti- » tutionum tenore, tamquam ipsius majestatis violatores » ultimo subjugandos esse supplicio."

Et l. II.

» Constitutio jubet privatas custodias non fieri, et eos, » qui fecerint, poenae subjici, et tot dies manere in » publico carcere, quot fuerit quis in privato ab eis » inclusus, cujuscunque sint conditionis vel dignitatis: » amittere etiam eos causam, quam habent adversus » inclusos, providentia episcopi et praesidis: quod si » neglexerit praeses, et bonorum et salutis periculum » sustinebit."

Jus Romanum jam cavit de libero homine (ingenuo) vel libertino a libero non privato carcere includendo. Argumento est l. 6. *ff. ad legem Fabiam de plagiariis*, quae eâdem poena plectit injuste detinentem. Justas etiam hac in re movit querelas LIBANIUS Sophista, in oratione. Invenitur quidem, potuisse maritum, adulterum cum uxore deprehensum includere, sed hoc magis probationis causa permissum erat. Tam severe judicabant ZENONIS jussa, ultimo supplicio punientis detrectatores hujusce legis, considerando eos tanquam laesae majestatis reos; aut eâdem poena illos plectendo, quod veluti pro talione, poenam carceris per idem spatium paterentur; mulctâ constitutâ porro in Praesidem satis gravi. Posterioris aetatis legumlatores hoc mendum graviter senserunt (1).

Retulimus praecipuas Christianorum Imperatorum leges, quibus miserae captivorum conditioni succur-

---

(1) CARPZOVIUS, *Pract. Crim.* Parte I, Quaest. 41, § 128 refert decretum Parlamenti Burdigalensis, quod tantum poena pecuniaria mulctavit dominum quemdam, qui famulum diu in carcere retinuerat.

—

Jus Francicum Art°. 341—345 Codicis poenalis, inde a poena operarum temporariarum, secundum gravitatem delicti, adscendit usque ad capitalem poenam, irrogandam praecipue in eum, qui cruciatus in carcere adhibuerit erga injuste detentum.

—

Hodierna tempora atra sunt adspergenda macula, scil. summae illius injustitiae et exquisitae crudelitatis exemplum praebentia: miserandum et flebilem CASPARUM HAUSERUM, candidum juvenum, cujus facundus vindex exstitit celeberrimus vir FEUERBACH.

rerent, quaeque etiam vim incredibilem in recentiora tempora exercuerunt, ita ut dubites, quid magis in iis miratu dignum sit, utrum magna sagacitas et justa severitas erga magistratus, turpiter potestate abutentes, vel socordia culpanda sopitos, an exquisita humanitas, qua omnibus vitiis, quoad ejus fieri posset, tollendis vires intenderent. Dolendum tamen, quod tam salutaria instituta medii aevi tenebras fugare non potuerint, sed quod velut densum velamen sese explicuerint, oblivione ea pene obtegentes. Rudis enim barbaries generalis fuit juris criminalis typus, quem egregii principes et viri illustres vix moderare potuerunt, qui tamen, ut alma lumina, fatigatum horroribus animum, per aliquot temporis momenta sedare possunt. Jam transeamus ad eas poenas indicandas, quae etiam hodierno jure arcte cum carceris poena nonnunquam cohaerent (1).

Initium faciamus a *poena Pistrini*.

Pistrinum dicebatur locus, ubi farina molebatur. Vocabuli origo repetenda videtur a verbo *pinsere*, i. e. contundere. Nam ante molarum usum inventum, frumenta antea siccata in pilos comminuebantur. Tunc et pistrinum, mutata re, appellatum est *locus*, *ubi*

---

(1) Nam *pistrini poena* comparanda videtur mihi cum rotis, pedibus a maleficis calcandis; (Treadmill).

Opus publicum perpetuum cum operis perpetuis; (travaux forcés à perpetuité, Festungstrafe) *opus publicum temporarium* cum operis temporariis (travaux forcés à temps).

Poena metalli cum poena metallorum venas eruendi, quae, nisi fallor, etiam nunc in Siberia a Russico regimine irrogatur.

frumenta in molis trusatilibus vel manualibus, ope servorum vel equorum circumactis, comminuebantur (1). Qui quum esset labor satis arduus, postea usuvenit ut servi malefici ad hanc operam pro poena damnarentur.

Unde phrases: *in pistrinum ire*, *in pistrinum detrudi* cett., saepius apud PLAUTUM et TERENTIUM, et apud CICERONEM sensu metaphorico, usurpatae, *pro aliqua re difficili.* CATO nonnumquam verbo *moletrina* utitur pro *pistrino*. Apud NONIUM: *nervo*, *carcere*, *moletrina.* AUSONIUS in poemate »*Mosella*" de molis asinariis loquitur, in quibus asini, velato capite, molas circumagebant. Hinc facilis erat transitus ad prava mancipia, *asinos* appellata, cum *praesepibus* i. e. molis. AULUS GELLIUS (2) tradit, PLAUTUM operam suam pistori locasse, ad victum quaerendum, atque hac in officina nonnullas comoedias scripsisse (3). Insuper sub tutela erant cujusdam Numinis: *μυλωθρὸς* — *προμυλαία θεὸς* appellati (4). In haec pistrina igitur solebant servi et mancipia infida detrudi (5). Exstat

---

(1) Cum pistrini poena similitudinem satis magnam habere videntur mihi rotae pedibus calcandae, (Treadmill) qualibus in Anglia ad fruges pinsendos, aquae haustum, recentioribus temporibus utuntur.

(2) *Noct. Att.* Lib. III, c. 3.

(3) Cf. ipsius *Curculio* Actu II, Scena I.
»*Quin reciperet se huc esum ad praesepim suam.*"

(4) JUL. POLL. *Onomast.* Lib. VII, c. 33. Tit. 8.

(5) Jam in literis sacris hujus poenae vestigia forsan inveniri posse dicerem, nempe in *Libro Judicum*, cap. 16, Vs. 21, legimus: »*Quem* (scil. SAMSON) *cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, et duxerunt Gazam vinctum catenis, et clausum in carcere molere fecerunt.*"

etiam lex satis memorabilis de *pistrini et ergastuli poena* in *Codice Theodosiano* (1), a CONSTANTINO M. lata. Pistrini et ergastuli poena hic in Urbis Romae et annonae civicae commodum, a CONSTANTINO M. introducta est. Quam legem probavit deinde VALENTINIANUS, qui hanc poenam a CONSTANTINO M. per Sardiniam (2) introductam, (nempe l. 3. Cod. Theod. ad FESTUM, Sardiniae Praesidem directa est) etiam extendit ad Romam ipsam et urbicarias regiones. Deinde per *Lucaniam* ad *Bruttios;* nam hae regiones juvabant annonam Urbis Romae vel *urbicam annonam.* Damnati ad pistrini poenam in hoc mittebantur a *Praefecto Annonae*, praeside quippe corporis pistorum (3), et annonae civicae praeposito. Pistorum corpus variis modis replebatur; *primo* per *originis vinculum*, i. e. per pistorum filios, nepotes cett., artificium paternum exercentes; *secundo* per sententiam judicis, quum leviorum criminum rei ad pistrini poenam damnarentur et pistoribus adsignarentur, secundum praeceptum VALENTIS et VALENTINIANI Imperatorum (l. 5. Cod. Theod. *de poenis*) Dimissi ex provinciis, sub conspectu

---

(1) L. 3, *Cod. Theod. de poenis.* »*Quicunque cohercitionem* »*mereri ex causis non gravibus videbuntur, in Urbis* »*Romae pistrina dedentur. Quod ubi Tua Sinceritas* »*coeperit observare, omnes sciant, eos, qui (sic ut* »*dictum est) ex levioribus causis hujusmodi meruerint* »*subire sententiam, ergastulis vel pistrinis esse deden*»*dos, atque ad Urbem Romam, i. e. ad Praefectum* »*Annonae, sub idonea prosecutione mittendos.*"

(2) De cujus rara fertilitate audiantur LUCANUS, HORATIUS cett.

(3) Cf. Tit. *Cod. Theod. de pistor. et Catabol.*

ipsius Praefecti Urbi manere debebant, ne alioquin forte per commentarienses venales elaberentur (1).

Haec de Pistrini poena sufficiant. Videamus de *poena Metalli*, quam ita distinguit ULPIANUS:

I. *Poena metalli* (ad quam damnati gravioribus premebantur vinculis).

II. *Poena operis metalli* (ad quam damnati levioribus premebantur vinculis).

III. *Poena ministerii metallicorum* (ad quam damnati damnataeve *istis* serviunt: quales sunt personae, quae ut serviant metallicis, in tempus vel in perpetuum adjudicantur; in quod et feminae damnari solebant, uti et in salinas (2).

Inter poenas capitales referebant Romani etiam *poenam in metallum perpetuum*, quae dicitur poena morti proxima (3), et in *opus metalli vel ministerium metallicum* (nam diversae non sunt nisi quod ad vincula). Haec poena, in perpetuum irrogata, auferebat damnatis libertatem. Ad tempus nemo damnari debebat in metallum; in opus metalli poterat (uti in l. 4. § 1 ff. *de incend. ruin. naufr.*) ubi D. ANTONINUS jussit liberos homines, qui graviorem ex naufragio praedam egissent, fustibus caesos, in triennium relegari; aut si

(1) De ergastulis (liberis et servis destinatis) cf. l. 8, *Cod. Theod. de tironibus.* Quam poenam HADRIANUM sustulisse in liberorum servorumque gratiam refert SPARTIANUS. *Ergastuli*, (ἐργαστήριον) vocabulum proprie de rusticis carceribus usurpatur.

(2) Ad opus metalli etiam pertinent calcaria et sulphurariae. L. 8, § 10 ff. *de poenis.*

(3) L. 28 ff. *de poenis*, init.

sordidiores (i. e. abjectiores) essent, in opus publicum pro triennio damnari. Damnatio ad opus publicum perpetuum inferior erat metalli damnatione. Nam qui ad hanc damnati erant, poenae servi non fiebant, sed tamen civitatem amittebant. *Inter poenas vero non capitales* referebant: damnationem in *opus publicum temporarium*. Dissentiunt tamen Jcti de gravitate poenae metalli. Quae enim visa est CALLISTRATO poena morti proxima, PAULO in *Sentent.* Lib. V. c. 17. *mediocris* appellanda videtur; *minima* in opus publicum damnatio, qua damnatus retinebat civitatem. Hujus poenae metalli damnati cogebantur eruere metallorum venas. Quam poenam TARQUINIUS SUPERBUS excogitavisse fertur.

Idem de SEMIRAMIDE testantur SUIDAS et DIODORUS SICULUS. — Multa fuerunt metalla, veluti in Macedonia, Ephesi, in Hispania. Hinc Elaphonesia, Proconnesia (1), Gypsensia, Docimena, Troadensia cett. Damnatio in metalla, vel in opus metalli aut ministerium metallicum, siquidem in perpetuum facta esset, civitatem simul cum libertate adimebat. Damnati etiam servilibus verberibus coercebantur (2). SUETONIO teste,

(1) Atque haec quidem ratio damnationis in metallum ante JUSTINIANUM obtinuit: sed postquam is Nov. XXII, cap. 8, servitutem poenae sustulit, consequens est metalli poenam ex secundo gradu capitalium poenarum, transferendam in gradum tertium, quo amissio civitatis continetur. MATTHAEUS de Crimin. ad tit. ff. *de poenis.*

(2) Servilia verbera, interprete BRISSONIO, *Antiquit.* L. III, c. 9, sunt: *flagra*, (servis applicata; unde et hi *flagriones* dicti) *lora* (funes, quibus nautae et remiges castigabantur); *flagello.*

stigmatum notis deformati servi, ad metalli opus condemnabantur (1). Nonnunquam utraque poena: operis publici scil. et metalli conjuncta fuit cum stigmatis inustione (2).

Qui quaeve ex metallis aufugissent, in metallum, graviter catenis vincti, detrudebantur. Quod ad delinquentes, qui huic poenae obnoxii erant, inter alios illâ plectebantur: liberti ingrati; ii, qui temere appellarent a judicibus ordinariis ad Praefectum Praetorio (si egeni essent vel agrestis vitae, per biennium) (3); servi, qui aliquid ex naufragio rapuissent, fustibus caesi, in metallum damnarentur (4). Porro λειποςράτιοι sive desertores (5); humilioris conditionis sepulchrorum violatores (6); lenones, ad prostitutionem filias vel ancillas incitantes (7); alii (8).

---

(1) CALIGULA, c. 17.

(2) Ceterum *operis publici poena* probe distinguenda est ab altera *metallorum*. Nam teste PAULO (*Recept. Sent.* L. V, c. 17) inter *minimas* poena est referenda, adeoque levioribus delictis irrogabatur. Qui ad hanc poenam damnabantur, civitatem amittebant, salva libertate. Inter alios hanc poenam subiisse videntur servi, qui legem de habitu infregissent (cf. L. 4, *Cod. Theod. de habitu, quo uti oportet*).

(3) L. 1, *Cod. Theod. de offic. Praef. Praet.*

(4) L. 4, § 1. ff. *de incend. ruin. naufr.*

(5) L. 1, *Cod. Theod. de desertor et occultat.*

(6) L. 11, ff. *de Sepulcr. viol.*

(7) L. 9, *Cod. Theodos. de lenonibus.*

(8) Ceterum de poenis hisce citatis cf. inprimis KLEINSCHROD, *Abhandlungen aus dem peinlichen Rechte.* Thl. 1, Abhandl. 5. Postea vero in poenae metalli locum substituta est (teste JUL. CLARO, *Pract.* § ult. 9, 67 versu)

De maxime memorandis poenis haec sufficiant. Finem imponamus huic Parti I, afferendis nonnullis generalibus observationibus de modo, quo veteres populi solebant *captivos in bello* tractare. Gravissima macula adspergendi sunt veteres populi generaliter, si consideremus, quemadmodum de captivis in bello senserint. Summorum principum et ducum gloria nobis non injuste obscurari videtur. Veteribus ipsis, quippe nondum salutaribus praeceptis religionis Christianae imbutis, humanitatem et honorificam tractationem captivorum hostium enixe hac in re postulantibus, haec trumphandi ratio accepta

---

triremium poena, quae etiam apud Graecos vigebat. Horrendum etiam in modum apud Francos et inprimis apud Mauros (de quorum carceribus »*Masmorras*" appellatis, videbimus Parte II.) qui captivos Christianos affigere solebant remis. Illius vestigia etiam inveniuntur in Jure Germanico veteri. Nam in Saxoniae Electoratu, aeque atque poena ex Italia advecta: *Tratto di corda* (*Germanice: die Wippe*) *supplicium metalli* adversus piscium fures irrogabatur, qui quum relegati essent, reduces, praestitam *Urphedam* fregissent, et denuo piscati essent in prohibitis aquis. Cujus constitutionis verba haec sunt.

»*Wenn aber der oder dieselbigen, so eben obgesetzter* »*Straffe vnsers Landes verwiesen, dasselbige nicht allein* »*ihrem geschwornen Eyd zuwider widerumb berühren,* »*sondern auch in vnserm vnnd unserer Landen gehegten* »*Wassern vnnd Bächen fischen würde, dieselbige sollen* »*mit der straffe des ewigen Gefängnüss, oder mit ewiger* »*Verdammung uff Galleen, in* Metalle, *oder stetswäh*»*rende Arbeit beleget 'vnnd solcher Straffen eine wider* »*sie unverzüglich fürgenommen und exequiret werden.*"

Ex diversis hisce poenis eligat judex. Quam et non semel exsecutos fuisse judices, meminit CARPZOVIUS *Pract. Nov. Crim.* Parte III, Quaest. 129, N°. 40, seqq.

videbatur. Rariora sunt exempla generosae captivorum tractationis, inter quae tamen enitet PHILIPPI, Macedonum regis moderatio, post victoriam Chaeroneae ex Atheniensibus reportatam, quibus sine lytro licuit discedere (1). Regum vero et nobilium captivorum, arrogantis triumphatoris currum ornantium, haud rara sunt exempla. A qua menda ne fortissimi duces quidem sese purgare potuerunt. Antiquissimum sane hujus inhumanitatis exemplum erit SESOSTRIDIS, Aegyptiorum regis, qui captivos reges currui junxisse fertur. Immanis etiam crudelitas CAMBYSEM impulit, quando victi PSAMMENITI, Aegyptiorum regis animum tam graviter commoveret, ductis ante ejus oculos liberis, servili opera occupatis, ad supplicium. Quod tamen infortunium felicem habuit eventum (2). In literis sacris (Libro Judicum, Cap. 1, v. 6, seqq.) legimus, postquam Israelitae, JUDA et SIMONE ducibus, multas gentes debellaverant — »*Fugit autem* ADONIBEZEC: »*quem persecuti comprehenderunt, caesis summatibus* »*manuum ejus ac pedum.*" Versu 7. »*Dixitque* ADO»NIBEZEC: *septuaginta reges, amputatis manuum ac* »*pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ci*»*borum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* »*Adduxeruntque eum in Jerusalem, et ibi mortuus est.*"

POMPEJUS MAGNUS, summus sane vir, nec alioquin inhumanus, fertur regum filios et obsides 334 praetu-

(1) Non possumus non referre hic CYRI generositatem, Judaeis permittentis, ut post captivitatem Babylonicam, in patriam reverterentur.

(2) Cf. HERODOTUS, L. III, c. 14—16.

lisse, inter quos TIGRANEM, ARISTOBULUM, et MITHRIDATIS 5 filios, filias duas. CAJUS CAESAR, Africano triumpho, JUBAE regis filium infantem ante currum duxit. SCIPIO, devicta Carthagine, HASDRUBALEM; PAULUS AEMILIUS PERSEUM et filios; MARIUS JUGURTHAM captivos duxerunt in triumpho. CLEOPATRA nonnisi voluntaria nece triumphi ignominiam vitavit. AURELIANUM Imperatorum non puduit in devictam ZENOBIAM (1), Palmyrenorum reginam victoris insolentiam exercere. SAPOREM, Persarum regem ferunt, VALERIANUM Imperatorem insigni ignominiae exposuisse, nimirum: illum, quotiescunque currum adscenderet, incurvato eo, cervici miseri pedes imposuisse. Melius vero CROESUM tractavit CYRUS, postquam tamen mortis instantis horrores omnes senserat.

De immani tractatione Atheniensium victorum a Siculis, vidimus supra. Haec itaque de veterum populorum more captivorum tractandorum jam sufficiant. Mox, illius crudelitatis vestigia multa etiam apud populos Europae Septentrionalis apparuisse, antequam apud illos religio Christiana introducta esset, nec almo ejus lumini cessisse, verum obscuratam fuisse surgentibus medii aevi tenebris, Parte II videbimus. Ad quam nunc transituri, simul de progressu et mitigatione (saltem in nonnullis terris) severi juris criminalis videre nobis proposuimus. Etiam illos principes

---

(1) Linguae Hispanicae studiosos ablegamus ad pulcherrimam fabulam, ab egregio poeta CALDERON DE LA BARCA conscriptam: *la gran Cenobia*, Tomo I. Edic. KEIL, Comed. IV.

et viros egregios citabimus, quibus miserae crudelis justitiae et tyrannici potestate abusus victimae magnum solatium debuerunt. Erubescendum forsan legumlatoribus, Jctis, Principibus, qui tunc vivebant fuit, considerandis egregiis exemplis, quibus praecesserunt Imperatores Christiani. Verum hoc rubore non omnes suffundi oportere, in sequentibus docebimus.

PARS SECUNDA.

QUAENAM FUERIT POENA CARCERIS INDE AB IMPERATORIBUS CHRISTIANIS USQUE AD HOWARDUM.

Carcerum cura et reorum custodia inde a CONSTANTINO M. et sequentibus Imperatoribus magno cum ardore tractata fuere. Nec cessavit pia haec opera omnibus in regionibus, ubi religio Christiana salutarem suam vim exercebat. Nam speciale studium in eo versabatur Conciliorum Ecclesiae, ut miseriae carcere detentorum opitularentur. Quanta fuerint ejus hac de re merita jam supra (in Excurso historico) vidimus. In iis vero regionibus, ubi alma lux religionis, caritatem etiam erga hostes et inimicos eximie suadentis, (novum sane praeceptum barbaris, immanium Numinum, implacabilis irae et saevae vindictae laesorum erga laedentes fautorum servis) nondum penetraverat, inhumana tractatio hostis devicti et in rudem captivitatem detrusi ubique in usu erat. Nec poterat aliquid sublevamen a saeva crudelitate

victoris devicto afferre illustre nomen, nec regia stirps, nec facta in bello heroica. Non pudebat illos barbaros, quamvis ipsi illustres essent, et alioquin virtute bellica, ceterisque veri herois virtutibus excellerent, famam paratam atra barbariei nota contaminare. Impune ita sese gerere poterant; nam in mente popularium nihil veteris famae revera perdebant, nec aliquid mirandum inerat illorum factis. Ita enim mos temporis permittebat, imo flagitabat. Eadem principia observata vidimus apud veteres populos summosque antiquitatis duces, in armis, aut toga immortales. Nec CAESAR, neque POMPEJUS, neque SCIPIO, alii, innatae animorum generositati cedentes, superare poterant aetatis suae, hac in re, menda. E multis unum exemplum sufficiat, cujus fama vivit in ore posterorum temporum, quodque fide dignissimus scriptor OLAUS WORMIUS oblivioni hominum eripuit (1). Flebile nimirum infortunium indigitamus, quod avertere non poterant regia stirps, nec egregia facinora bellica miseri, qui illud perpeti damnatus erat.

RAGNAR sive REGNER LODBROG, anno 748, post obitum SIGURDI HRING successit in solium Danicum. Certe inter egregios et fortissimos Scandinaviae heroes erit collocandus. Post multa facinora egregio successu ornata, aliquando, comitantibus filiis et parva militum manu, duabus navibus vectis, Angliam invadere sta-

(1) OLAUS WORMIUS, *Litteratura Danica*; SAXO GRAMMATICUS; veteresque *Sagae*. Mors illius sec. OLAUM W. accidit A°. 857; sec. PONTANUM, *Historia Danica*, A°. 850.

[redacted]

tuit, regnum illius terrae appetens. Post multas fortunae vicissitudines, appulit in Angliam. Ella vero, Northumbriae comes (*Jarl*) adortus est eum cum superioribus viribus. Prostratis copiis, vivum illum cepit; detrusitque in speluncam horrendam, sub turri sitam, ut hic serpentibus et vermibus venenosis esca projectus, fame, cruciatibus et horribilium reptilium morsibus interiret. Ragnar lodbrok vero, veteris gloriae memor, ellae totique posteritati animum infractum et valorem sublimem ostendere voluit, seque cantandis rebus suis gestis corroborare conatus est. Sic in versu 25 usque ad finem illius cantus qui innotuit nomine lod»brog's *Quida*" exprimit dolores quo conficiebatur (1):

---

(1) Ol. wormius Latine

» *Pugnavimus ensibus.*
» *Hoc ridere me facit semper*
» *Quod Balderi patris scamna*
» *Parata scio in aula,*
» *Bibemus cerevisiam brevi*
» *Ex concavis crateribus craniorum:*
» *Non gemit vir fortis contra mortem.*
» *Magnifici in Odini domibus*
» .... *non venio desperabundis*
» *Verbis ad Othini aulam.*

» *Pugnavimus ensibus.*
» *Hic vellent nunc omnes*
» *Filii Aslaugae gladiis*
» *Amarum bellum excitare;*
» *Si exacte scirent*
» *Calamitates nostras,*
» *Quam non pauci angues*
» *Venenati me discerpant.*

Ejusdem crudelitatis speciei vivit exemplum in ore insulae Jurae incolarum (1). Verum avertamus ab

---

» Matrem accepi meis
» Filiis, ita ut corda valeant.

» Pugnavimus ensibus.
» Valde inclinatur ad hereditatem.
» Crudele stat nocumentum a vipera,
» Anguis inhabitat Aulam cordis.
» Speramus alterius ad Othini
» Virgam in Ellae sanguine.
» Filiis meis livescet,
» Sua ira rubescet;
» Non acres juvenes
» Sessionem tranquillam facient.

Denique et ult. 29.
» Fert animus finire.
» Invitant me Dysae,
» Quas ex Othini aula
» Othinus mihi misit.
» Laetus cerevisiam cum Asis
» In summa sede bibam,
» Vitae elapsae sunt horae
» Ridens moriar!

Cf. TEN KATE *Aenleiding* coll. Bijlage II, *oud Noordsgedigt van* REGNER LODBROG.

(1) In insula *Jura*, ad latus Scotiae Occidentalis etiam nunc videre licet rudera castellorum, in quibus horrenda antra destinata erant captivis, in quae miseri isti detrudebantur per foramina operculis clausa, scalis ad descensum impositis. Quibus scalis detractis, inediae vel intolerabili siti, iis inhiantibus relinquebantur: cruciatibus aequiparandis terribili *poenae oblivionis in carcere*, quae apud nonnullas gentes, etiam recentioribus temporibus, solebat obtinere. Tradunt insulani horrendam historiam de quodam HUGH MAC-DONALD, conjurationis adversus dominum insularum

horroribus istis oculos fatigatos, animós commotos. Consideremus insequentia tempora, quae quamquam religione Christiana temperata, tamen exiguam humanitatem accusant. Militare ingenium, quo inprimis excellebant populi, regiones septentrionales Europae inhabitantes, nondum, ut postea evenit, temperatum erat mitiore illo sensu pietatis, quo imbuti, *equites* omnium ordinum, ubicunque in excultioribus Europae partibus, arma ceperunt, ad sanctum Redemtoris sepulcrum a Sarracenis recuperandum. Rudis illorum populorum indoles, praecipue Normannorum, piraticam plerique vitam exercentium, praeter virtutem bellicam nihil fere aestimabat. Posterioris vero aetatis homines praeter virtutem bellicam, alia etiam appetebant. Arma enim intacta servare studebant ab omni vili aut saltem minus honorifica causa. Temporis ingenium a veri nominis equite pietatem postulabat erga ecclesiam, innocentiam oppressam, et reverentiam summam erga muliebrem sexum. Haec saltem apud Normannos deërant. Nam etiam cultus divinus apud populos Scandinaviae, ad quos pertinebant, mitiorem humanitatis sensum respuebat, promittendo iis qui in bello occidissent, aeternum in *Walhalla* mansionem et cere-

---

(*Laird*) MAC-DONALD, eundemque ejus avunculum reo, qui in castelli carcerem detrusus est. Quo facto, per triduum idemque nocturnum spatium jejunum linquunt illum. Morte inediae instante, vociferato dejiciunt ingens frustum salsum carnis bovinae. Quod quum devorasset, intolerabili siti relictus, incredibilibus cruciatibus occubuit. Cf. FRÉDÉRIC MERCEY, *Souvenirs d'Ecosse.*

visiae potum cum ODINO. Inde nulla erga hostem devictum temperantia, quum et ipsi nulla egerent.

Perfecte hunc sensum cognoscere possumus ex poemate modo citati RAGNARI LODBROGI. Expeditiones maritimas multas instituere coeperunt, CAROLO MAGNO regnante. Maria infesta reddebant innumeris navigiis piraticis, et Angliae, Germaniae, Frisiae oras invaserunt. Quum nulla obstacula invenirent, audaciores facti, CAROLO CALVO satis laxe imperii frena tenente, fluminibus advecti, in Franciam penetrarunt, Parisiosque popularunt. Sensimsensimque imperium condiderunt in Francia, unde et procedente tempore, GUILIELMO Normannorum duce auctore, Anglos debellarunt. Qui semel ab iis victi, victoriae vim diu in lingua et moribus experti sunt. Non est quod miremur, homines tales incredibilem timorem incussisse omnibus populis, tam ferocibus pugnatoribus nondum assuefactis. Itaque et multis locis, ubi rapinae et furoris illorum vestigia vicinis urbibus calamitates, ipsis inhiantes nuntiabant, precibus in templis Deum supplicabant, anxie Illum rogantes:

»*A furore Nortmannorum, libera nos Domine!*« (1)

Ubique eundem crudelitatis sensum conservantes, horrendum in modum etiam in devictos Anglos saevierunt. »*Nam omnes*, uti referunt annales Saxonici, *rapiebant, qui sibi aliquid videbantur possidere, viros, mulieres, interdiu et nocturno tem-*

(1) Cf. C. W. BÖTTIGER, *Deutsche Geschichte* cett. pag. 39.

[redacted]

»*pore; et detentis, ut extorquerent aurum aut ar-* »*gentum cruciatus infligebant,*" adeo ut nulli umquam martyres talia senserint. »*Nonnulli pedibus suspen-* »*debantur, capite sese super fumum volvente. Alii* »*pollicibus suspensi, ignis cruciatus subter pedes per-* »*petiebantur; aliorum capita loro circumdata compri-* »*mebant, donec cranium fere frangeretur; alios detru-* »*debant in speluncas, serpentibus, bufonibus, aliisque* »*reptilibus refertas.* Alios denique injecerunt in cruce- »tum (crucethus) i. e. cistam, quae erat brevis et an- »gusta et depressa, *lapidibus acutis plena, in quam* »*vi captivum premebant, donec membra fere omnia de-* »*pravarentur.* In multis castellis erat horridum quid- »dam ac detestandum scil. sachenteges i. e. *catenarum* »*fasces tam gravis ponderis, ut duo vel tres homines* »*sublevando impares essent. Miserum, hocce pondere* »*depressum, alligabant ad palum et sic erectum serva-* »*bant, circumdatum collari ferreo, ita ut neque consi-* »*dere, neque decumbere, neque dormire posset. Multa* »*millia fame occiderunt cett.*" (1) Talia horrenda facinora nihil miri hocce tempore continebant, nam etiam principes tam barbare de humanitate sentiebant. Ita et anno 1106, ROBERTUS Normannorum dux, ab HENRICO I Anglorum rege pugna superatus, primum in Cambria in castello detentus, ruptis vinculis aufugit. Quo facto, postea tamen comprehensus, jubente HENRICO fratre, coecatus, per 27 annos in carcere

(1) Cf. *Annal. Saxon.* ed. GIBSON, 1692 (apud A. THIERRY, *Hist. de la conquête de l'Angleterre par les Normands*), Tom. III, pag. 45 seqq.

degit, ibique morti occubuit, invictum usque ad exitum animum conservans (1). Tales nebulae obscurarunt lucem splendidam, illo tempore medii aevi, pietate, virtute bellica, honore accensam, quae summum splendorem nacta est tempore expeditionum Cruciatarum, quum varia diversorum populorum indoles et mores ad unicum eumque sublimem finem sese conjungerent, inprimis pietate sancitum. Tunc enim rudis et strenua virtus bellica equitum, Septentrionalem Europae partem inhabitantium emicabat; fides et indubius religionis sensus equitis Germani corroborabatur equitis Neerlandi perseverantia. Iracundus Gallici equitis sensus, dexteritate et coeca fortitudine terribilis mitigabatur majestate equitis Castellani, austera facie fervidum sanguinem abscondentis, saepius vero vindictae sensu ultra innatae generositatis metam ducti. Sarracenorum politiores mores, et totius Orientis superior animi cultus, etiam contribuebant efficaciter ad rudiores Occidentis virtutes poliendas. Hisce considerandis laetamur. Ab altera parte honoris sensu non aeque fortiter imbutos fuisse, imo vindictae obedientes contaminasse armorum splendorem principes alioquin omnibus ingenii et corporis dotibus praeditos, qui egregiis exemplis subditis praeire debuissent, docet historia. Unicum exemplum hic sufficiat. RICHARDUS I (COEUR DE LION) Angliae rex, exemplar sine dubio perfectissimi equitis et principis strenuissimi, ex expeditionibus contra Sarracenos redux, vi tempestatis in

(1) THIERRY, op. laud. Tom. II, pag. 364.

Dalmatiae oras delatus, anno 1192 ab inimico peculiari LEOPOLDO VI Austriae duce, comprehensus, primum in castello Dürrenstein, prope Krems detentus est. Postea traditus HENRICO VI Germaniae Imperatori, ab hoc per totum annum Mogontiaci, Borbetomagi et in castello Trifels in durissima captivitate gemuit (1).

Equitum ordo, in quo nobilissimi et potentissimi viri inveniebantur, multis fruebatur privilegiis; inexpugnabili saepe castello tutus, ubi frui poterat omnibus opulentiae et honorum deliciis, domini unici potestatem impune exercere poterat. Cujus vero animus hisce illecebris non mollitus erat, superbo nonnunquam animo cedens, aut egestate ad ferociam redactus, praedo fiebat, qui transeuntem mercatorem adoriebatur. Victor, conjiciebat nonnunquam eum in castelli carceres, (*Burg-Verliesse*) ulciscens ita spem praedae deceptam. Hoc inprimis in Germania accidebat, ubi secundum Imperii constitutionem, singulorum arbitrium magis intactum inveniebatur, et sub debilibus nonnullis Imperatoribus in effrenatam libidinem degenerabat (2). Ita saeviebat immane *jus ma-*

(1) Ejusdem saevitiae specimen, principe victore indignum postea edidit CAROLUS ANDEGAVENSIS in cruento supplicio, quod sumsit de miserando CONRADINO, ultimo stirpis Hohenstaufenae flore, post funestam pugnam, prope Tagliacozzo, capto, quem anno 1268, una cum FREDERICO amico, in foro Neapolis, capitis poena plecti jussit.

(2) Idem fere tamen obtinebat in Francia, ubi quodcunque Baronis territorium, quaecunque Urbs libera fruebatur jurisdictione. Regia potestas umbra fere erat, si comparabatur cum ducum Normandiae, Aquitaniae, Burgundionum cett. enormi potentia.

[redacted]

nuarium (*Faustrecht*, *Vuistregt*), quod vix comprimere poterat, in Germania, *pax sempiterna* (*ewiger Landfriede* 1495) et Tribunal principatus Imperii Germanici (*Reichskammergericht*). Duo fuere praecipue obstacula, quae impediverunt, quominus hi abusus cessarent et quassata civium quies restitueretur, nimirum: *incursiones hostiles*, (*Befehdungen*, *veten*) quas erga se invicem potentiores exercebant, et quibus vix occurrere poterat pacis sempiternae species, quas constituere volebant civitatis moderatores. Tunc et *pignerationes*, (*Pfaendungen*) privatis personis erga debitores permissae, ex quibus multae lites oriebantur, dijudicandae etiam saepe relictae castelli cujusdam domino (1). Vehementer in hac rerum conditione fortius remedium desiderabatur, quod saeve laceratis terris, oppressis hominibus debilioribus, adversus insolentes tyrannos, pristinam quietem, pristina jura restituere posset. Potentissimum frenum libidinum praebuerunt: *judicia Vemica sive secreta*, (*Veemgerigten*) potissimum in Guestphalia florentia. Institutum, cujus salutari vi saepe usi sunt Imperatores Germani, contra crescentem nobilium in civitate virorum audaciam, quod ubique terrorem incutiebat delinquentibus, quia nihil fere tam secreti committi poterat, quin investigarent

---

(1) Quales vexationes saepius exercebant fundorum domini erga subditos vasallos, patet ex lege 1247 in Arragonia lata; qua lege jus concedebatur fundorum dominis, ne nobilibus quidem, delinquentem inediae in carcere relinquendi. Ne mors quidem illorum ipsis fraude censebatur.

prudentes judices (*Freischöffen*, *Vryschepenen*). Aequo fere pede procedebat delictum cum ipsius poena. Sententiam mox sequebatur mors, plectente judice inviso. Quod evenit multis salutaribus institutionibus, quando abusus illas invadant, ut pessum eant, hoc et Judiciis Vemicis accidit. Nam quum sub specie justitiae, vindictae privatae, malitiae, avaritiae inservirent; quum et ipsum mors plecteret, qui generoso animo ductus, inter judices, condemnato, salvo tetro jurejurando, quo inauguratus erat, nutu unico, periculi effugiendi copiam dedisset; quum multi formidolosi homines, inani terrore prostrati, etiam sine accusatione, extorres facti essent, aliaque illorum Judiciorum dignitatem imminuissent, tunc multi in mania principes, quibus sese adjunxerunt *foederati Helvetii*, pactum inierunt, quo quique volenti justitiam, absque judiciis secretis, praestabant. Ultima illorum judiciorum sessio habita est anno 1568 prope Cellam in Hannovera (1).

Quum et judicia Vemica judicarent inter alia crimina, de *incantationis sive artis magicae crimine*, pauca etiam de hoc in justitia criminali medii aevi mendo videamus. Jam apud veteres superstitionis illus vestigia apparent (argumento sint XII Tabulae,

(1) Judicia vemica etiam *poenam carceris* adhibuisse, suspicari licet ex iis, quae referuntur in Urbe Badena de carceribus subter castellum ducale sitis, ubi et nunc apparent sessiorum, cruciatuum, quibus delinquentes afficiebantur, vestigia. De hisce judiciis cf. nostratis J. DIRKS Dissertatio de *Judiciis Vemicis* L. B. 1835.

apud Romanos: *qui fruges excantassit — neve alienam segetem pellexerit*) quasi nonnullis hominibus licuerit, pacto cum daemonibus inito, aliis hominibus nocere. Mox hominum metus indicia externa indubitanda illius fatalis commercii certis quibusdam personis tribuebat, quae ita saepius innocentes praejudicatae tribunalium sententiae, horrendis cruciatibus, et saevis suppliciis tradebantur. Quamobrem civitatum moderatores sacrum officium, pietatem insignem ostendens, operam Deo gratissimam duxerunt, talem humanitatis pestem radicitus evellere, et exquisitissima supplicia de talibus haereticis et maleficis sumenda esse. Innumerae miserorum catervae ita exstirpatae sunt. Anno 1484 *Sagarum processus* (Heksenproces) INNOCENTII VIII Papae bulla in Germaniam introductus est. Inter eos, quos INNOCENTIUS judices constituerat, ut hisce de rebus inquirerent, innotuit inprimis JACOBUS SPRENGER, haereticorum judex (Kettermeester) Argentorati. Qui quum multas difficultates a parte Argentoratensium sibi oppositas inveniret (1), librum conscribere statuit, quo doceret, revera tales maleficos inveniri eosque puniendos esse. Quamobrem librum inscripsit *Malleum maleficarum*

(1) Quam efficacia postea dubia scriptis mandata fuerint ad evellendam atram hancce superstitionem, ostendunt conamina excellentium: JOHANNIS WIER (alias PISCINARIUS, ducis Cliviensis medicus) (1558), SPEE, Jesuitae (1631), BALTHASARII BEKKER, in patria nostra, HORSTII et imprimis CHRISTIANI THOMASII, Halensis (1728), aliorumque.

(Hexenhammer) »*maleficas*, inquit, *et earum haeresin ut phramea conterens*" (1).

Durissimus inter varios cruciatus erat sine dubio etiam *poena carceris*, qua afficiebant hujus haereseos et maleficiorum reos. *Malleo maleficarum* praescribebatur etiam: ut vestes *delinquenti exuerentur* et *ipsi tonderentur*, *sive adurerentur*, ne per clavium foramina quidem avolarent, retenta aliqua magici unguenti portione. Accesserunt aliae inquisitiones ad *stigma diabolicum* (het zegel des boozen) detegendum; exercentibus saepe rudissimis viris in corpora sagarum atrocissimas et lascivas libidines. Constans cura in eo versabatur, ut ne uno puncto temporis sibi et sic malis Diaboli artibus relinquerentur. Non pudebat illius temporis judices plerosque decernere, ut in obstinatos obstinatasve (saepe innocentiae conscientia corroboratos) exquisiti cruciatus adhiberentur, in carcere saepe aucti ex arbitrio custodum (2). Strenuissime

---

(1) Cf. nostratis J. SCHELTEMA, *Geschiedenis der Heksen-processen*, pag. 25: *» als of deselve alle toovenaars en heksen op een » aambeeld tot gruis zoude verbrijzelen.*"

(2) Afferam hic pauca exempla. Lindhemi in Wetteravia exstat et nunc turris quae audit: *der Hexenthurm*, in qua carcer inveniebatur subterraneus. Infixus erat muro lebes ferreus, in quem reum reamve vi detrudebant carnificis famuli; collum ligabant collari, muro etiam infixo, pedibus interim et manibus intra lebetem vinctis, catenarum ope. Providere debebant carnificis famuli, ne reus reave somnum caperet, posito lumine accenso e regione delinquentis, cujus radii semper oculos feriebant. Ita corpus fatigatum nullo fulcro sustinebatur, neque in somno quidem aliquid levamen horrendi cruciatus inveniebat.

vero haeresin et magica artificia impugnavit *sanctum officium*, potentissimum frenum, quo usi sunt sagacissimi principes FERDINANDUS et ISABELLA, primis ejus institutionis temporibus, ad nobiles vasallos audaciores comprimendos et omnem potestatem monarchico regimini tribuendam. Multis obstaculis superatis, tandem 1481 Hispali tribunal patuit delinquentibus judicandis sub nomine: *General Inquisicion Suprema*. THOMAS DE TORQUEMADA, princeps judex severissimus, cruentum saevi religionis ardoris monumentum in Hispania erexit. Ubique incredibili terrore animos hominum hoc terribile tribunal profligabat. Nec mirum! Exquisitae barbariei et atrocitatis specimina edidit in illos miseros, praecipue Judaeos, Mauros et haereticos, nec non in sagis et magicos, qui illius furori objicerentur. Inter poenas, quas Inquisitio infligebat reis, priusquam saepe cremarentur, minima certe non erat *poena carceris*. Nam horrenda erat. In multis urbibus carceres constabant squalidis cellis, 12 pedes longis, 10 pedes

Anno 1628 *Buhlii*, in carcere aliud sagis destinatum erat cruciatus instrumentum, consistens nimirum: sella, cujus sedes constabat ligno acuto, in longitudinem extenso. Delinquentis pedes vix solum attingere poterant; manus in tergum rejectae alligabantur perticae ferreae. Haec pertica summa erat praedita collari, saepius intus spiculis munitus, quae vulnerabant collum, toties quoties caput ad latera vergebat. Si forte somnus nihilo secius, dolores a spiculis sentiendos vinceret, praesto erant immanes custodes, pulsibus noctu et interdiu excitantes delinquentem, aut in oculos ejus acetum aut salsuram infundentes, ut somnum fugarent.

latis: *casas santas* (*sanctae domus!* acris ironia!) appellatis, in quas lumen coeli per exiguam fenestram penetrabat, constructam in muro summo, ita ut tetrae tenebrae ibi dominarentur. Pars horum antrorum constabant zothecae specie, (eene soort van alkove) in qua captivi dormiebant, quoad nempe ejus fieri posset. Nam quum tantum trium capaces essent, si duplo numero refercirentur, robustiores incumbere cogebantur, »*vix eodem spatio relicto, quod* »*mortuis conceditur*" uti inquit LLORENTE. Tam humidae erant mansiones illae, ut stragula, quibus incumbebant miseri, brevi putrefierent. Nulla utensilia ibi inveniebantur, nisi testae quaedam fictiles, quibus necessitati parebant. Quas testas quum custodes semel tantum, quaque hebdomade, vacuefacerent, aer in carcere adeo pestilens factus erat, ut multi morti occumberent (1); qui vero servarentur vix humanam formam conservarent. Omni occupatione carebant miseri rei, inter quos saepe inveniebantur homines eruditione, aut nobili prosapia excellentes, quibus igitur ignavia altera mors videri debebat;

(1) Terribile exemplum defectus aeris et pestiferarum exhalationum citatur ab HOWARDO in op. *the state of the Prisons* pag. 13. Anno 1756 Calcuttae in Bengalia, 170 homines detrusi sunt in *speluncam*, quae audiebat: *atram* (*Black-Hole*). Unam tantum noctem ibi transierunt, conglomerati. Sequente die, 154 cadavera inde extracta sunt. Qui vero iis supervixerunt, infortunium hoc aeris defectui tribuerunt et hocce antrum appellarunt »*inferna minuta*" (*Hell in miniature*). Descripsit hunc casum HOLWELL, unus e numero captivorum, libro: *historical Events* cett.

ne libros quidem iis concedebant carceris praepositi, nec ullum adminiculum, quo uno eoque brevissimo temporis puncto horrendae vitae conditionis oblivisci possent. Querelae et gemitus captivorum statim et severe comprimebantur. Admonitionibus custodum non sufficientibus, obturamento gementis os farciebant. Obstinatum nihilominus captivum per aliquot dies flagellis per cameras agebant; eadem poena infligebatur rixantibus, qui tunc promiscue flagellis caedebantur. Neque aliqua hujus poenae mitigatio, pro sexu aut aetate concedebatur: puellae, monastriae, augustae matronae palam, nudatae, saevissime vapulabant. —

Hac conditione utebantur, sub finem Saeculi XV, captivi in Inquisitionis carceribus (1), ita, ut aedium ordinatione mutata et emendata, detentorum sors tamen eadem maneret. Non est igitur quod miremur, captivos, saepe nece voluntaria, a miseriis et intolerabili conditione sese liberasse. Magis commiserandi, qui forte huic tentationi restitissent, depromebantur e carcere, ad cruciatus horrendos, in carnificam transituri. Sufficiant jam haec de Inquisitionis carceribus (2).

---

(1) Nimirum in Hispania; nam severa ceteroquin Lusitanorum Inquisitio Tyndi (Goa), in India Orientali mitigabatur laudabili cura reorum in carcere, quod ad alimoniam, sanitatem, officiales carcerem visitantes et querelas captivorum audientes, pudicam mulierum tractationem a custodibus, reddita bona ad captivos pertinentia, tempore detentionis elapso. Cf. C. DE RENNEVILLE, *l'Inquisition Francaise ou l'histoire de la Bastille*, Tomo I, Prooem. 54 seqq.

(2) Cf. DON JUAN ANTONIO LLORENTE in opere, quod ipse in Francia edidit: *Histoire critique de l'inquisition d'Espagne.*

Fanaticus religionis ardor non minus extra Europam, ducebat Hispanos, in expeditionibus in Americam illustria virtutis bellicae specimina saepe exquisitis in Indos crudelitatibus contaminantes. Ab altera parte juste indignabantur immanibus humanis sacrificiis Americanorum, nec vana hac in re fuerunt illustrium virorum conamina, qui armis aut eloquentia horrendum illum Idolorum cultum destruere voluerunt (1). Unica virtus, et sincerus, quo animus flagrabat, humanitatis amor viri, qualis fuit LAS CASAS, consolari potest moerorem et indignationem, quibus corripimur, legendis pravis cruciatibus, quibus captos Mexicanorum Imperatores MONTEZUMA

(1) Unicum horrendi sacrificii captivorum Hispanorum a parte Mexicanorum exemplum hic citabimus, quod refert scriptor Hispanus DON ANTONIO DE SOLIS, in op. *Historia de la Conquista de Méjico*, Tomo V. Cap. 23, pag. 135—136.

Celebrarunt enim Mexicani victoriam immolandis Diis, praecipue belli Deo, captis Hispanis, quorum palpitantia corda pectoribus evulsa, obtulerunt tetro Numini. Reliqui Hispani, inter quos ipse CORTES, distantes, flammas, abominandos victores et infaustas victimas illustrantes conspiciebant, imo popularium voces cognoscebant. Funestum spectaculum! Quod tantopere ipsum duriorem CORTES commovebat, ut cum ceteris suis lacrimas effunderet.

Quod ad Americae populos nonnullos universe, statu naturali utentes, mirae apud illos usuvenit crudelitas erga captivos in bello. Cujus barbariei, etiam extra tempus Americae Septentrionalis ab Anglis defectionis, horrendae exstant relationes. In perferendis hisce exquisitis suppliciis, sine aliquo gestu, fractum doloribus corporis animum indicante, spectatur demum vera virtus bellica, ipsis vita carior. Contingat moratiorum in America civitatum rectoribus paullatim hanc barbariem exstirpare!

(MOTEZUMA apud SOLIS) et GUATIMOZIN nonnullorum Hispanorum avaritia prosecuta est. Cujus GUATIMOZINI constantia et animus infractus, quae illum jacentem in frixorio, super candentes carbones, ne uno quidem temporis puncto reliquerunt; quibus et fidelis administri juxta se jacentis incredibiles dolores sedaret, praeclaro dictamine: »*egone hic rosis incumbo?*" meliore sane exitu perdigna fuerunt semperque menti veri humanitatis amici haerebunt infixa.

Animadvertamus nunc potius ad emendatam jurisprudentiam criminalem quam, praecipue auctore JOANNE SCHWARTZENBERGIO, CAROLUS V, ipsius: *Constitutione Criminali Carolina* anno 1532, assecutus est. Omnia enim quae BENEDICTUS CARPZOVIUS in opere: *Practica rerum criminalium* (1) affert, quod

(1) Parte III Quaestione III *de capt. et incarc. reorum*. In quo loco egregia humanitatis praecepta contulit. Nec tamen defuere, qui hunc egregium virum »*crudelem judicem*" appellarent. Qui titulus dignissimus est qui legatur, ob memorabiles quas continet, in Germania, juris criminalis Constitutiones, de *Urpheda* cett. Flebile exemplum, per modum admonitionis, refert arbitrariae tyrannidis in detentos ostensae. Invenitur in op. scriptoris anonymi: *Bedenken von Verbesserung des Justiz-Wesens vom Jahr* 1607. Anno nimirum hocce, ancillae habitanti in fundo nobili (adelijk goed) prope Cron-Weissenburgum accidit, quum parvulum dominae filium brachiis gestaret, ut casu decideret, unde crure vulneratus est. Iracunda vero domina eam in imam sub turri speluncam detrudi jussit. Horrendi angoris et metus clamitus incarceratae, quos famuli renuntiabant dominae, animum crudelem flectere haud potuerunt; donec, penitum cessantibus, famuli dominae jussu, carcerem visitarent. Corpus ibi inventum est, quod quatuor

ad tractationem et reorum custodiam secundum Carolinae praecepta, satis mitia sunt. Fere eodem tempore, in Francia, FRANCISCO I regnante, (1539) introducta est emendata juris criminalis forma, quam curavit VILLERS COTTERETS. Multa ipsa reorum custodia et emendata carcerum cura debuit viro, sancta vita et sincera pietate aeque venerando CARLO BORROMEO, Patri Purpurato, et Mediolani Episcopo (1538-1584); cujus facta jam retulimus (in h. op. Excursu Historico). Proximum locum juxta talem virum juste occupat egregius VINCENTIUS A PAULA (ST. VINCENT DE PAUL) anno 1576 natus in Francia, Ranquinesii, (Ranquines) prope Pyrenaeos montes. Anno 1605 Massilia profectus, Narbonem Martium petens, a piratis Tunetanis in captivitatem abductus est (1). Quo tempore prae-

---

magni angues letalibus complexibus occupabant, quorumque unus collum laceratum depascebatur. » *Hicce flebilis casus*, » addit anonymus, *tam violenter dominae animum per-* » *cussit, ut furens mortem sibi conscivisse feratur.*". Cf. porro de horrendis carceribus veterum, JACOBUM DÖPLER, *Schauplats der Leibes- und Lebenstrafen*, Tom. I, c. 10, pag. 638.

(1) Hic forte non ingratum erit, lectorem ablegare in pulcherrimam descriptionem modi, quo Mauri solebant captivos tractare et mirae evasionis, quam ingenio et audacia consequi frustra conatus est scriptor Hispanus celeberrimus MIGUEL DE CERVANTES SAAVEDRA (anno 1580) quam sub tecta persona refert in opere: *Don Quijote de la Mancha*, Parte I, cap. 40. Solebant enim in aedibus, quas *Baños* appellant, captivos Christianos includere, in regia aut aliorum privatorum hominum servitute degentes; item illos captivos, qui operas publicas in urbe Caesarea (Algiers) praestabant, qui rarissime lytro vinculis solvebantur ob hanc ipsam causam.

terlapso, liberatus, in Franciam redux factus est. Reliquam egregiae vitae tempus consecravit beneficiis humanitati tributis. Beneficiorum memoria nunquam oblivioni tradetur apud populares, propter emendatam

---

Regii captivi ad operas non aguntur cum cuncta turba (chusma), casu eo excepto, quando nimis diu exspectatur illorum lytrum. Ut quantocijus illud solvi conentur, missis ad suos in Europa nuntiis, cum ceteris adiguntur ad operas et ligna caduca colligenda, »*quae non est*," ut inquit CERVANTES, »*res minoris difficultatis*." Praeter famem, vestium inopiam, aliasque aerumnas, nihil tam intolerabile visum est ipsi, quam inauditae crudelitates, quas dominus illius exercebat in Christianos. Quotidie enim hunc suspendio, illum per medium stipite adacto, alium abscissis auribus punire solebat. In multos saeviebat sine causa, et quasi consuetudine. Ipse CERVANTES domino semper acceptus mansit. Hucusque procedit narratio poetae celeberrimi. Quae sequuntur, continent mirae evasionis sed variorum per 7 annos conaminum relationem, quam et VINCENTE DE LOS RIOS, praecipuus poetae vitae scriptor, sua auctoritate fultam retulit.

Immane crudelitatis Maurorum monumentum in nobilissimum principem conservavit poetarum decus: CALDERON DE LA BARCA Hispanus, in pulcherrima fabula: *el principe constante*, in qua exemplar nobis ostendit nobilissimi principis, Christiana patientia, religionis sanctitatem praeferentis incredibilibus contumeliis et infamibus cruciatibus, quibus prosternebatur. Illustris hicce princeps erat FERDINANDUS Lusitaniae *Infante*, qui captus in expeditione Lusitanorum contra Septam (Ceuta) urbem, (anno ut videtur 1415) se ipsum vinculis liberare potuisset, si voluisset sinere tradi urbem Septam. Quod quum recusaret, a Maurorum principe severe habitus est; qui illum occupabat aqua haurienda, equis curandis, et saepe esurientem et vestibus egentem relinquebat, cett.

[redacted]

sortem captivorum, ad poenam triremium damnatorum, quos una cum COMITE DE JOIGNI, triremium praefecto, saepius visitare, omniaque adminicula ad horrendam illorum conditionem sublevandam adhibere nunquam defatigabatur. Sustentabatur deinde in hac pia opera exercenda, regia LUDOVICI XIII liberalitate; a quo ad dignitatem honorificam (*Aumônier Général des galères de France*) evectus, reliquam excellentis vitae curriculi partem impendit variis institutionibus condendis, ad inopiam, miseriam, pestilentiam, famem e patria arcendas. Intempestive lugenti patriae ereptus est tandem anno 1660.

Ab hoc inde tempore, reorum custodia nullas egregias emendationes nacta est. Contra in Francia v. c. erat pessimae conditionis.

Nam saevissima tyrannis et atrocissima libido inter se contendebant. Unde etiam multi insontes aut leviorum criminum rei, inauditis a parte Praefectorum et custodum inferiorum carceris, crudelitatibus affecti fuerunt. Exemplo sit primum captivus ille, cujus facta, origo, et natura delicti, impenetrabili mysterio obvoluta fuerunt. Faciem obtegere jussus erat, sub poena mortis, persona ferrea, unde et nomen: *Viri cum persona ferrea* (l'homme au masque de fer). Constat, hunc virum anno 1679, quam secretissime abductum fuisse ad castellum Pignerol, cui tunc temporis praeërat ST. MARS. Hic illum secum duxit ad carcerem la Bastille, ubi 1703 morti occubuit. Vanae sat omnes fuerunt investigationes et conjecturae omnium temporum hominum. VOLTARIUM arcanum partim

penetrasse; suspicaremur ex iis, quae adjecit ad librum 1771 editum: *dictionnaire Philosophique* (Rubrica *Ana.*) Quidquid sit, cognoscimus ex ejus fatis abominandum arbitrium, quo nonnumquam aliqui homines oppressi, atrocia patiuntur a potentioribus offensis (1).

Quam saeve processerit vindicta, ob levius delictum, potentissimae principis in hominem, qui juvenis carcerem intravit, senex illum reliquit, videmus tristi exemplo confirmatum Marchionis HENRICI MAZERS DE LATUDE (1725-1805). Per 35 annos inauditos cruciatus, in teterrimis mansionibus et antris, (ut ita dicam) perpessus est, e quibus evadere, tantum per infractum constantiam, et mirabile ingenium ei licuit. A°. 1756 jam Amstelodamum attigerat, quum jussu regiminis Francici, vi inde abreptus est, (de qua rudi et inhumana tractatione in itinere, a parte officialium politiae cf. librum ab ejus causae patrono THIERRY editum, cui inscriptum est: *Mémoires de Mr.* DE LATUDE, *détenu pendant* 35 *ans* cett. in plures linguas translatum. Quae descriptio legentium nauseam vehementer excitat). Nec non Marchionissae DE POMPADOUR (1764) potuit placare vindictam, quam nunc exprimis contra eum exercuit Praefectus politiae DE SARTINE. Ex omnibus patet, uti ex ipsius hujus Praefecti verbis, in epistola, quam misit ad ST. FLORENTINUM, miserum captivum ad *poenam terribilem oblivionis in carcere*

---

(1) Comparari poterit cum hisce exemplis recentioribus temporibus flebile infortunium juvenis CASPARI HAUSER, de quo jam vidimus ad locum de carceribus privatis.

destinatum fuisse. Auream libertatum nactum tandem sese ratus, de novo (1777) in carcerem Bicètrensem detrusus est, innumeros cruciatus antea et in carceribus Vincennensi et Carantonensi (Charenton) perpessus (1).

---

(1) Unicum exemplum ex innumeris horroribus, quibus liber ille refertus est afferam, quod invenies ll. op. Tomo I. — Hoc est testimonium ipsiús medici carceris, DEJEAN, jussu Praefecti Politiae DE SARTINE, LATUDIUM visitantis. — » *Per* » *40 menses jacebat, manicis et pedicis ligatus in carcere* » *subterraneo, sine tegmine, palea incumbens, intem-* » *periei acerrimae hiemis expositus. Frigus et ventus* » *libere per foramina in carcerem penetrantes, faciem* » *miseri lacerabant; narium destillatio perforaverat labrum* » *superius; frigus nudaverat dentes scissos, barbae pilos* » *combusserat. Inprimis oculi graviter affecti erant per* » *humorem, provenientem ex muris carceris, latis 9—10* » *pedes; per repercussionem radiorum, intra foraminum* » *cancellos millies fractorum. Non mireris, captivum* » *in rabiem incidisse, et vitam sibi demere conatum fuisse* » *inedia 133 horarúm, cui vi occurrere coacti sunt cus-* » *todes carceris. — Irrito facto conatu, vitri fragmento* » *4 venas sibi secavit, per quas, durante nocte, omnis* » *fere sanguis defluxit. Inde etiam caecitas temporaria* » *orta erat. Per 15 annos, omnis generis miserias per-* » *pessus; per 7 annos privatus erat igni, luce, et solis* » *radiis*," cett. Quam horrendam descriptionem concludit medicus DEJEAN, hortando Praefectum DE SARTINE, ut frui liceat captivo aura vitali puriore et vehementis membrorum motione, aliisque consiliis, quae suggerebat ei animi humanitas.

Brevis descriptio famosi illius carceris: *la Bastille* fortasse haud ingrata erit, ad hunc locum addita:

Conditum est hoc castellum CAROLO V, anno 1369, regnante, ad propugnaculum Urbis Parisiorum et gazam regiam.

Tandem revera liberatus est anno 1784 et usque ad mortem (1805) sustentabatur ab heredibus Marchio-

---

LUDOVICO XI regnante, destinabatur ad captivos politicos continendos. Qualibus cruciatibus, quali exquisitae barbariei hic expositi fuerint docet, inter alia, flebilis juvenum ducum D'ARMAGNAC historia. Qui, quum pater JACOBUS, conjurationis contra LUDOVICUM XI reus, capitis damnatus esset, primum damnati sunt, ut vestibus albis induti, subter catastam ponerentur, ut ita patris sanguine adspergerentur. Quo facto, detrusi sunt in horrendas, quae dicuntur *caveas*, ubi neque stare, neque considere neque dormire poterant. Bis quotidie flagellis caesi, insuper carceris medicus jussus est cuique juveni, tertio quoque mense, unum vel duos dentes evellere. Qua in re spectanda erat rara generositas fratris natu majoris HENRICI, qui quum debilior esset frater natu minor, rogavit medicum ut ei, pro fratre, duos dentes quaque vice evelleret. Lacrimans, totoque animo commotus, tandem morem gessit precibus medicus humanissimus. Tandem cedere conatus est miserandus puer malis, quibus premebatur. Ex defectu corporis exercitii, sanae alimoniae, correptis est febri, quae in furorem degeneravit, quo morti occubuit. Alter frater supervixit immani tyranno.

Ab hoc inde tempore usque ad LUDOVICUM XIII eidem fini destinatum mansit, scil. delinquentibus politicis superiorum ordinum, eodemque fere modo tractabantur atque captivi ejusdem qualitatis in *Turri Londinensi* (*Tower*). Situm erat h. castellum ad Sequanam fluvium, non procul ab Armamentario (Arsenal), formam gerens tetragoni oblongi. Defendebatur 4 turribus, muro 60 pedes alto adstructis, cum introitu a platea ST. ANTONII. Pone hunc introitum inveniebatur fossa, plerumque exsiccata, latitudinis 120 pedum (saepius vero impletam fuisse Sequanae aquis, quae tunc in subterraneos carceres penetrantes, multos captivos pene submergebant, ostendunt LATUDII et RENNEVILLII scripta). Idem eveniebat in Venetiarum carceribus: gurgustiis (i *possi*) (uti docet MARONCELLI, in notis ad opus S. PELLICONIS

nissae DE POMPADOUR. Plura memoratu dignissima hocce libro continentur, quod ad crudelitatem, ava-

cap. 1). Per aggerem, fossam secantem, et per quinque portas perveniebas ad aream, longitudinis 120 pedum. Intus erant 8 turres, conjunctae muro, 10 pedes lato, quae varia nomina gerebant. Quaeque turris 6 captivorum capax erat (nonnumquam vero plures captivos, egregia Praefectorum crudelitate, conjunctos fuisse, docet RENNEVILLII historia, qui ipse habitabat una cum duobus furiosis). Graves idem citat rixas, imo homicidia captivoram inter se, conjuncto vi ferociore et pravo cum mansueto et pio detento). In ducis turribus siti erant carceres subterranei, tetris plerumque animalibus referti. Fascis stramentorum unicum ibi erat cubile. Super haec antra erant conclavia, in quae lux penetrabat per fenestras tam altas, ut 3bus gradibus ad illas adscendere cogebaris. Hoc beneficium denegabatur antris subter illa sitis, tenebrarum sedi.

Alii etiam horrores in famoso hoc carcere inveniebantur. Huc inprimis pertinebant, quae dicebantur *Caveae*, cum cancellis ligneis, laminis ferreis religatis, quarum 3 inveniebantur in primo turrium tabulato. Ibi ferarum instar versabantur captivi. Cibus atque potus per rotam versatilem iis praebebatur; item per illam necessitati parebant. Pessimae mansiones erant etiam quae dicebantur: *Calottes*. Hujusmodi galeri lacunar erat concameratum; item muri laterales. Ita detenti conclave erat valde depressum ita, ut tantum locus circularis relinqueretur, in quo aut equi in mola instar, circumagi debebat, aut mensae quasi alligatus considere. Haec conclavia, quum in tanta altitudine sita essent, hiemali tempore intolerabile frigus penetrabat; aestivo vero tempore, propter calorem vix inhabitari poterant. (Idem dicendum de carceribus Venetiarum, nimirum de *cameris plumbatis* (*i piombi*), quae erant in summa parte palatii ducalis (*palazzo del doge*), sub tectis totis plumbo coopertis, quarum horrores multi descripserant, inter quos praecipue: J. J. DE SEINGALT CASANOVA (in op. *histoire de ma fuite des prisons de la république*

[redacted]

ritiam Praefectorum; libidinem et atrocitatem custodum; summam negligentiam et indolentiam, cui venia dari non potest, quod ad aegrotantes captivos (summam v. c. nauseam excitat LATUDII, scorbuto vehementi correpti, tractatio in carcere Bicetrensi, Tomo II.; et exempla a RENNEVILLIO allata in op. laud.) Rapacitatis et avaritiae inprimis accusatur etiam apud RENNEVILLIUM: Praefectus BARNEVILLE. Quod lucrum inprimis consequebatur ex pravis alimentis, detentis praebitis, pro laute destinatis a Rege. Quotannis, inprimis posterioribus temporibus solebant circa 60,000 libras (livres) captivorum alimentis extorquere; qui ita male alebantur, quum quotidie tantum panis libram unam, vini pessimi lagenam unam, pulmenti inodori portionem exiguam obtinerent. Accedebat etiam carnis infectae portio. RENNEVILLIO teste, BARNAVILLE, Praefectus Castelli, tantum 20 denarios (sols) alimoniae cujusque captivi impendebat, quamvis 20-25 librae pluribus competerent.

---

de Venise, qu'on appelle les plombs). Et SILVIO PELLICO, qui inprimis innumerandae culicum copiae expositus fuit, (in op. *le mie prigioni*, c. 26); et de *carceribus pontis suspiriorum* (*le buiose de' Sospiri*). Quam secretissime in carcerem la Bastille detrusus, parentibus, amicis absconditus manebat miser, cui haec sors obveniebat. Omnes res externae, imo majoris momenti in civitate casus, illum fugiebant. Raro licuit captivo legere aut aliqua occupatione miserum depellere. — Refert LINGUET sibi ipsos Praefectos testatos fuisse, hunc carcerem spectavisse animi detentorum, potius quam corporis cruciatus. Contrarii vero multa affert RENNEVILLE exempla in op. laud. Cf. etiam HOWARDI *hujus castelli descriptio*.

[redacted]

Rex Franciae destinaverat enim ad detentorum alimoniam pretium fixum; scil. Principi e stirpe regia: quotidie 50 libras; Mariscalco Franciae: 36 libras; duci militum superiori: (*Lieutenant-Général*) 24 lib.; publici Concilii participi (*Membre du Parlement*): 15 l.; judici, clerico, cett.: 10 l.; mercatori: 5 l.; opifici: 3 l.; famulo: 2 l., 10 denarios; (cf. LINGUET, *la Bastille dévoilée;* qui etiam accurate descripsit crudeles ambages, qui auxilium captivis in morbum incidentibus ferendum serum saepius redderent). Horrendae impudicitiae exemplum quod carceris custodes quidam ediderunt, invenitur apud RENNEVILLIUM in Prooemio ad librum ejus: *l'Inquisition Française ou l'Histoire de la Bastille*, Amstelodami editum. Descriptio carcerum *Vincennensis*, *Carantonensis;* (ubi praeter multos nobiles viros, a parentibus nonnunquam, ope epistolarum *lettres de cachet* appellatarum, (uti docet MONTESQUIEVIUS in op. *l'Esprit des loix*) inclusos, etiam una cum furiosis detinebatur LATUDIUS); *Bicêtrensis*, (ubi captivi omnis generis utensilia e palea fabricandi, occupabantur ut et in carcere Carantonensi obtinebat. Hoc artificio, quod opifices cum aliis operariis, delinquentibus exercent, constitutis hujus artificii officinis satis vastis, tot lucrantur, ut tempore detentionis praeterlapso, habeant, unde sese possint sustentare) multa habet memoratu perdigna.

Haec sunt notatu dignissima, tempore, quod inde a VINCENTII A PAULAE aetate usque ad HOWARDUM praeteriit. Vehementer igitur inprimis in Francia, Anglia, Italia, et praecipuis Europae civitatibus emendatio car-

cerum et curae captivorum desiderabatur. Quod ad Germaniam, Russiam, patriam nostram, quas HOWARDUS in itineribus visitavit, quarumque laudes celebrat in scriptis, non tantopere urgebat prompta medela. Verum in iis regionibus, quae propter egregias institutiones, artes, scientias, mercaturam, omnisque splendoris et decori genus ceteroquin prae ceteris terris excellere summopere studuerunt, talia menda tolerari diutius non decebat. Italia, quae urbem potentissam Venetias, ob diros carceres, et Inquisitionis terribile tribunal famosam continebat, flagitabat medelam, quam ipsi praebere generose conatus est BECCARIA. Audacia praecepta, illo tempore inaudita et stupenda, quae suae patriae totique Europae dedit in aureo libro: *dei delitti e delle pene*, gravi vitio illo laborabant scil. quod tantum theoriam continebant, salutarem sine dubio, quae tamen non fulta erat experientia practica, uti HOWARDI aequalis. In Francia flebile CALASII, Tolosani infortunium, cujus facundus vindex stilo fuit VOLTARIUS, opere: *traité sur la tolérance*, ansam praebuit ad legum criminalium naevos poliendos. Jam anno 1767, omnes illustri exemplo, Europae principes praecesserat CATHARINA II, Russorum Imperatrix, jubendo ut codex poenalis conficeretur. Qua in re inprimis BECCARIAE et MONTESQUIEVII praecepta voluit observari. Haec vero pia opera felici successu gavisa non est. Proxime secuta est eam MARIA THERESIA, Austriae illustris princeps, edenda constitutione Criminali: *Theresiana* (1768). Perenne sine dubio hujus emendatae juris criminalis formae monumentum exstitit *carcer*

Gandavensis, ab ipsa conditus. Dignissimus tali matre filius, JOSEPHUS II, cum aequali, FREDERICO MAGNO contendit, quisque etiam salutari legislatione, subditorum felicitati providere conatus (1).

Vastae erant tales Principum operae, jus vernaculum totum vel partim spectantes. Deerat tamen et deesse pergit medicina quae etiam interiores partes affectaret. Hanc medicinam praebuit non princeps in splendida purpura emicans, nec alius vir in toga, aut stola, aut sago immortalis. Quis credidisset? Humilis et modestus vir, sola pietate fultus, et inexhausto, quo ardebat, totius humani generis amore; cujus similis vix unquam homo exstitit. Cujus laudes (2) semper in ore vivent omnium humanitatis fautorum, qui velint

---

(1) Cf. W. H. DE MAREES VAN SWINDEREN in Dissert.: *de studio, quod legumlatores, inde a Saeculi XVIII parte posteriori in legibus criminalibus cett.* Groning. 1827. Cap. II, pag. 97 seqq.

(2) Pauca tamen satis digne incomparanda hujus viri conamina senserunt. Nec tamen desunt; inter quos popularis et amicus JOHN AIKIN in *historia Howardi vitae*; J. B. BROWN, *Memoirs of the public and private life of John Howard.* Poeta Francicus DELILLE in poemate: *la Pitié*, Chant II, pag. 63 et 64. Tunc et nostrates: SURINGAR, *Redevoering over Howard*; HELMERS, *nagelaten gedichten*, II Dl. 8°. bl. 84 et inprimis: KIERSTRASZ in egregio poemate »JOHN HOWARD".

Inter Europae Principes, JOSEPHUS II Imperator penitus ejus meritis imbutus, teste ipso HOWARDO, insigni honore affecit illum, annuendo nonnullis HOWARDI nutibus ad rem carcerariam in Austria emendandam (quae si fidem ipsi habeamus, praecipue in carcere Vindobouensi *la Maison de Bourreau* promptum remedium postulabat).

tantillam partem aerumnosae vitae ipsius imitari vel saltem similia conamina ad normam ipsius factorum exercere.

Verbo, hic vir incomparandus (nisi forsan aliqua ex parte cum antiquiore LIBANIO) erat JOHN HOWARD, sublime illud humanitatis decus. Qui vir, quum sit veluti cardo, quo fulta, res carceraria i. e. cura carcerum et miserorum iis inclusorum novam faciem ostendit, dignissimus videtur mihi, qui consideretur tanquam praecipuum instrumentum, quo usa est divina providentia ad hanc curam, diu sopitam, inter homines promovendam. Impune igitur eodem honore frui poterit, quo alia humanitatis decora: principes, legumlatores cett., quum periodi in historiae annalibus initium dignissimum habiti sint ab historiarum omnium temporum scriptoribus. Ita in historia poenae carceris, HOWARDUS efficit tale punctum splendens inter puncta minora. Hoc posito, secundum propositum, hic transimus ad hujus opusculi partem ultimam, quae audit:

[redacted]

PARS TERTIA.

QUAENAM FUERIT POENA CARCERIS INDE AB HOWARDO USQUE AD RECENTIORA TEMPORA, INPRIMIS IN PATRIA NOSTRA ET AMERICA SEPTENTRIONALI.

Anglis itaque, per merita HOWARDI (1) honos competit, practicam, quae BECCARIAE non contigit, car-

(1) Brevis HOWARDI vitae descriptio fortasse haud injucunda hic erit.

JOHN HOWARD secundum amici AIKINI relationibus, circa annum 1727 natus est. Pater ejus, tapetorum artificium et mercaturam exercebat *Smithfieldii*. Opes satis largas lucratus, misit hanc occupationem, domiciliumque collocavit Enfieldii, ubi satis probabiliter natus est filius JOHANNES; postea Hackneyi. (Dissentiunt multi quod ad locum, ubi natus fuerit H.) Severe a patre habebatur et ab illo destinabatur scientiae mercatoriae. Huic educationi multa debuit H.; quum ex illa lucratus sit sinceram pietatem religiosam, uti et constantiam, in omnibus propositis exsequendis spectandam. Mortuo patre, quum satis laute vivere posset H., valedicit mercaturae, cui imparem sese sentiebat ob valetudinem parum firmam, iterque suscepit in Italiam et

cerum et ibi detentorum emendationem instauravisse. Uti in excursu historico vidimus, mox ipsius cura, com-

---

Franciam. Anno 1752 ex hoc itinere redux, aliquamdiu Londini commoratus est, artibus medica et physica inprimis occupatus. Jam tunc egregia humanitas ejus splendere coepit, quam generose, sapienter simul erga pauperes exercebat. Valetudine parum confirmata, cogebatur rure vivere, ubi inprimis agricultura et hortis colendis delectabatur. Inde et maximam continentiam et sobrietatem lucratus est. Annos 26 natus, mulierem egregiam, in cujus domum domicilium collocaverat, SARAH LARDEAU (s. LOIDORE) uxorem duxit, cujus praestantem indolem, aegrotans, expertus erat. Non diu vero illa HOWARDI vitae fuit consors, quum 3 annos post morti occumberet. Fama terribilis terrae motus, qui Ulisipponem (*Lissabon*) penitus fere destruxerat, quum in Angliam pervenisset, HOWARDUM generoso ardore incendit, opem ferendi lugenti humanitati. Verum in itinere nave praedatoria Francica captus, in durum carcerem Brivatensem (Brest) detrusus est. Qui casus novum stimulum praebuit HOWARDO, ut magis magisque ad sublime propositum, quod ad captivos, incitaretur, publicandis omnibus cruciatibus, quos rudi victores solent captivis in bello infligere. Regiae artium et scientiarum societati adscriptus, mox secunda vice uxorem duxit: HENRICAM LEEDS (1758), quacum in fundo amoenissimo, Cardingtoni cum filio felicissimum vitae tempus transiit, dum beneficia et sincera humanitas laudibus ad coelum tollerentur a miseris, quibus opitulabatur. Mox vero quietam vitae rationem reliquit. Ad honorificam dignitatem evectus, (*Sheriff*) in comitatu Lactodurensi (*Bedfordshire*), egregie meruit de conditione carcerum patriorum emendanda; unde transiit ad difficiliorem aerumnosae vitae partem, quum beneficia cum tota humanitate communicare vellet. Duodecim annos huic singulari studio impendit, percurrens inde ab anno 1775—1787, quater Germaniam; quinquies patriam nostram, cujus egregiae illo tempore institutiones, quod ad carceres, reorumque custodiam, ipsi perennem praebuerunt laudum fontem; bis

municata est haec pia opera, ope *Fratrum* sectae, ad quam et HOWARDUS pertinebat, trans Oceanum, cum America Septentrionali, initio inprimis cum Pennsylvanica civitate. Hic igitur quaerenda erit origo novi systematis, emendatam carcerum ordinationem, archi-

---

Italiam, (Lusitania et Hispania eum non latuerunt) Scandinaviam, Russiam et Turciam, ubique nosocomia et carceres visitans. Nec impensae neque labori parcebat ad miseriae illos recessus penitus investigandos. Ubicunque fere fruebatur publica existimatione vir ille humilis, liberalis, generosus, insigni honore a JOSEPHO II affectus. Uberrimos, quos humanitas tulit fructus collegit in libro *the state of the Prisons* etc. qui cum totius Europae principibus et civitatum rectoribus communicatus, millenos servavit. Summum studium impendit etiam impugnandae horrendae febri carcerariae (*account on the Gaol-Fever*), cujus morbi quum salutarem medicinam indicasset, remedia adversus fatalem pestilentiam quaerere statuit; omnia symptomata et processus ipse cognoscere voluit. Quapropter 1783 Massiliam profectum est, unde per Italiam et Turciam, horrendis periculis expositus, iter fecit. Cujus mali naturam quum penitus indagavisset, redux in patriam, librum edidit celeberrimum: *history of the principal Lazarettos* etc. Anno 1789 patriam reliquit, in Asia etiam medicinam praebiturus sibi notam contra pestilentiam; sed in hoc itinere correptus morbo epidemico, intempestivae patriae, amicis, humanitati morti occubuit tandem (20 Januarii 1790) Chersonesi Heracleae, in Chersoneso Taurica (*Kherson in de Krim*). Jacet non procul ab ossibus alius principis insignis, POTEMKINI, urna funebris, superstructa simplici obelisco. Nec ingrata fuit ipsius patria, viro immortali collocans monumentum in aedibus ST. PAULI.

Lugens amicus AIKIN dolorem, quo affectus erat, sic exprimit in HOWARDI vitae descriptione: » *Finis vitae nobis* » *luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non* » *sine cura.*" Repetet illud quisque humanitatis fautor!

tecturae formam et carcere inclusorum conditionem spectantis, quod nomine: *systematis poenitentarii*, in multas Americae Septentrionalis partes et etiam in nonnullas partes Europae introducere coeperunt vel saltem introducendum suaserunt nonnulli egregii viri. De quo systemate mox pauca videbimus. Primum placet considerare, quid post HOWARDI tempora, praecipue in Francia (de effectibus, quos generosa HOWARDI conamina in Anglia et America Septentrionali habuerunt, vidimus in Excursu historico), quae promptam rei carcerariae emendationem desiderabat. Anno 1789, turbis in Francia exortis, quum cives, tetris dissidiis, bello intestino occupati, patriam quietem vehementer fugarent, inter multa egregie facta atrocia, quae odium, discordia, invidia suggerebant, multa inveniuntur. Pars victrix nonnumquam crudeliter saeviebat in victos; nec desunt exempla, quod saepe miseros, fortunae casu prostratos severissimis suppliciis et horrenda carceris poena puniverint infensi victores. Optime hanc captivorum conditionem, simul et Franciae misere laceratae ex libro NOUGARETII, *Histoire des Prisons de Paris et des Départements etc.* discere licet.

Verum quum mutationes extraordinariae in civitatibus inter acidos etiam uberrimos fructus ferant, digne rari hi fructus aestimandi sunt. Hoc etiam verum est de mutato tunc temporis in Francia, rerum statu. Indignabundus populus, adspectu saeve oppressarum tyrannidis victimarum excitatus, quae saepius insontes, saltem minus culpandae potentissimarum in civitate

personarum vindictam, in horrendis carceribus senserant, (multum huc contulisse suspicor LATUDII infortunium, qui ad populum appellavit) conglomeratus, contulit sese ad horribile castellum Bastille, et infame hoc abusus, crudelitatis tyrannicae monumentum radicitus evulsit. Cujus rei fama, quum etiam usque ad Chersonesum Heracleam pervenerat, incredibili gaudio magnanimum HOWARDUM affecit, quum sibi blandiretur, fore ut quae ipse de tetro hoc carcere divulgaverat et cum tota Europa in scriptis communicaverat, multum contulissent ad hanc destructionem festinandam (vid. vita ejus descripta ab AIKINO). Haec consecuta est populi indignatio; verum antea, (1780) monitus sine dubio precibus humanissimis et severa simul admonitione HOWARDI, principibus non parcentis, neque prava in re carceraria instituta excusantis, LUDOVICUS XVI, suadente NECKERO, 30 Aprili 1780 declaravit inter alia: »sese subterraneos carceres abolere velle, ne forte in»sontes accusati, detenti poenam per anticipationem luant, morando in carcere tenebricoso et pestilenti." Turbae vero, in civitate exortae, humana egregii hujus principis praecepta vana reddiderunt.

Tunc secutum est *Decretum* 6 Octobris 1791, quo statutum est de operis, quibus detenti in carcere occuparentur; de sanitatis cura detentorum, qui licet graviorum criminum rei, soli includendi sunt conclavibus, in quae lux et aer libere penetrare possint; de tripartito usu illius, quod operis detenti in carcere lucrentur; de alimonia, cujus qualitatem ipsi captivi emendare possint assiduo labore, ut eo lautior fiat.

Multa insuper decreta secuta sunt, laboratoria in quoque carcere condenda praecipientia. NAPOLEONTE regnante, paucae carcerum emendationes factae sunt. Codex methodi procedendi in criminalibus rebus, repetiit quae jam indicata erant *decreto* anni 1791, constituens inter alia, ut *aedes custodiae* (maisons d'arrêt), et *aedes justitiae* (maisons de justice) probe distinguerentur a *carceribus damnatorum* (prisons pour peines) (art. 604. Code d'inst. crim.); ut hae aedes, aeque atque carceres, salva fida et arcta custodia, sanitati detentorum nullomodo noceant. (art. 605. Code d'instr. crim.) Provisum est etiam, ut potestatis administrativae membra visent statuto tempore carceres et sic provideant simul sanae detentorum alimoniae (art. 611—613 ibid.); ut custodes notent in codicem incarcerandorum persònas cett. De privatis carceribus, vel locis non publice ad inclusionem destinatis inhibendis cautum est in eodem codice (inde ab art. 615—619) (1). Introductus erat etiam NAPOLEONTE regnante, mos quam secrete nonnullos homines in carceres detrudendi, famosum illud: »*mettre au secret*," contra cujus abusum, graves nonnulli egregii viri, inter quos DUPIN, BÉRENGER, VILLERMÉ (2),

---

(1) Cf. LEGRAVEREND, *Traité de la législation criminelle*, Tome I, cap. 8, Sect. 5, »*des prisons*" — JOUY *la morale appliquée à la politique*, Tome II, c. 8, et 9.

(2) DUPIN *Observations sur plusieurs points importants de notre législation criminelle.* BÉRENGER *De la justice criminelle en France.* — VILLERMÉ *Des prisons telles, qu'elles sont et telles, qu'elles devraient être*, etc. pag. 84 (in op. *Neues Archiv des Criminalrechts*, Bnd. V, pag. 173—184).

querelas moverunt. Providebatur etiam *Decreto* 3 *Martii* 1810 ordinandis carceribus politicis (1) (*Prisons d'État*); simul tamen salutaria praecepta *Decretorum*, annis 1791 et anno IX latorum, quae nonnisi Parisiis effectum aliquem sortita erant, subversa sunt.

LUDOVICUS XVIII, de captivorum sorte sollicitus, menda in re carceraria emendare statuit. Auctore sine dubio egregio viro, duce LAROCHEFOUCAULD-LIANCOURT, qui Americanorum systemata de re carceraria cognoverat, *Decreto* (*Ordonnance*), 9 *Septembri* anno 1814 lato, hisce praecipue curam adhibuit: I.) Ut omnes delinquentes damnati, qui nondum annum aetatis 20 attigissent, transportarentur e prioribus carceribus ad carcerem, quem indicaret praepositus administrationi rerum civitatis internarum. II.) Ut huic carceri praefectus superior ab ipso rege praeponeretur, qui omnia ad carcerem pertinentia curaret. III.) Ut hisce muneribus praefectus carceris et reliqui administratores gratis fungerentur. IV.) Licet praefectis carceris designare custodes inferiores. Ceterum longum est, omnes egregias emendationes afferre, quae hoc humanissimo decreto continentur. Ablegamus igitur lecturos ad librum saepe citatum: *Neues Archiv des Criminalrechts* (2).

---

(1) Pulcherrimam carceris politici, civitatis turbatoribus destinati, regnante NAPOLEONTE, nempe Fenestrellensis, apud Taurinos (*Fenestrella in Piemont*) descriptionem dedit scriptor Francicus DE SAINTINE in aureo libello *Picciola*.

(2) Bnd. VII, pag. 328—347.

Audiantur etiam eodem loco viri egregii: BENNET, jussu Parlamenti curiae inferioris, annis 1814 et 1815 carceres Parisinos visitans, praecipue et carceres *St. Pélagie* (1) et *St. Lazare*. Multum tamen abest, ut omnibus vituperationibus carere possint carceres Francici. Quamobrem egregii viri (2) non defatigantur indicandis in patriae honorem, remediis adhibendis. Ex scriptis DUPINI, inter alia, cognoscimus etiam insignem humanitatis fautorem: ANTONIUM SALVAN, Baeterris Septimanorum (Béziers), per 30 annos, exquisiti humanitatis studii honorabilia edentem specimina. Multum tamen emendatum est hoc studium societatibus pro cura captivorum jam citatis, quarum preest uni ICULISMAEUS DUX (LEDUC D'ANGOULÊME), constitutis. Quae societas, egregios Jctos participes egregiorum laborum numerans, finem sublimem sibi propositum consequi conata est, lectis praecipuis viris carceribus et sorti captivorum emendandis (3).

---

(1) Cf. et opus scriptoris Fr. JOUY: *les hermites en Prison*, II Tomes. Paris 1823.

(2) Multa egregia annotavit etiam COMES LABORDE in op.: »*Histoire physique, civile, politique et morale des Prisons de France.*"

(3) Rem memoratu perdignam praeterea citat SPANGENBERG in l. l. *N. Arch.* pag. 345, cujus verba hic afferemus:

»*Was in Frankreich bis jetzt nur durch einen freiwilligen Verein edler Menschen geschah, war in* Genua *wirklich Pflicht einer besondern obrigkeitlichen Behörde. In dem Gesetzbuche, welches, als Vermittler, der Pabst* GREGOR XIII, *der Kaiser* MAXIMILIAN II, *und der König* PHILIPP II *von Spanien, im Jahre 1576 jener ehemaligen Republik gaben, wurde eine besondere*

[redacted]

Verum properemus jam ad alterum argumentum, quod tractare nobis in hac parte proposuimus. Breviter videamus de *systemate poenitentiario*, in America Septentrionali, quod dicitur.

Jam supra (in Excursu historico) verbo indicavimus originem novae methodi in rem carcerariam, in America Septentrionali introductae. Vidimus etiam, eodem tempore duo eaque diversa systemata exstitisse. Verum formâ externâ haec diversa sunt; nam utrumque eundem sibi proposuit finem: *morum emendationem delinquentium poenae castigationis ope*. De utriusque systematis discrimine breviter videbimus, paucas notas de utriusque effectu addentes.

I.) *Systema Novi-Eboraci sive Auburnense* praescribit delinquentibus:

» Magistrats-behörde, *als* Protectores Carcerum, *eingeführt.*
» Dieses Amt sollte von zwei ausgezeichnet frommen, » von dem Doge und den Statthaltern gewählten Bürgern, » von zwei durch den Senat ernannten Rechtsgelehrten, » und von zwei Advocaten, nach der Zeit ihrer Matrikel » ausgeübt werden. Von dem Augenblick ihrer Ernennung » an sollten dieselben, ohne sich irgend entschuldigen » zu können, die Gefängnisse besuchen, alle im Elend » smachtende Verbrecher aufzeichnen, sich über den Grund » ihrer Verhaftung erkundigen, und untersuchen, ob sie » übel behandelt wurden, und ob sie vielleicht aus Rach- » sucht einer mächtigen Partei, oder auf eine sonst » unrechtmässige Weise eingekerkert seyen. Hierauf soll- » ten sie sich bei dem ältesten Rechtsgelehrten der Stadt » versammeln, und die Mittel, diese Verhafteten zu ver- » theidigen oder ihren Zustand zu erleichtern mit mö- » glichster Genauigkeit, — diligenter ac accurate — *er- » forschen, und das weitere darnach besorgen.*"

a.) Solitarium carcerem, durante nocte.

b.) Silentium, durante communi operarum exercitio, interdiu.

II.) *Systema Philadelphense s. Cherry-Hillense* praescribit carcerem et laboris exercitium solitares, noctu interdiuque.

Systema *Novi-Eboraci*, quod multis in partibus comparari poterit cum institutione interna carceris Gandavensis, auctore comite VILAIN XIIII, jam inde ab anno 1771 ibi introducta, in Americam Septentrionalem introductum est, anno 1820, per occasionem novae alae condendae in carcere Auburnensi. Inde ab anno 1823, praecipue opera societatis carcercariae Bostoniensis, hoc systema in 15 carceribus adhibitum est, inter quos praeter ipsum carcerem *Auburni* conditum (1), eminet carcer *Sing-Singensis* (2), et *Wethersfieldiensis* (3).

Systema *Pennsylvanicum s. Philadelphense*, introtroductum est in America occasione conditi carceris Philadelphensis, qui demum anno 1829 patuit delinquentibus, praecedente hac in re carceris Praeposito BREBNERO, qui hoc systema in carcere *Glascuensi* (4) adhibuerat. Prima vero hujus systematis origo quaerenda est in egregiis conaminibus societatis carcerariae Philadelphensis, quae inde ab anno 1776

---

(1) Cf. DUCPÉTIAUX, op. laud. Tab. 16.

(2) Cf. idem, op. laud. Tab. 17.

(3) Cf. idem, op. laud. Tab. 18.

(4) Cf. de hoc carcere: FRÉDÉRIC MERCEY, *Souvenirs d'Écosse. — Glascow.*

contendit cum egregio architecto HAVILAND ad carceres apud se emendandos. Hoc systema tantum viget in 9 carceribus; cujus causa quaerenda erit in eo, quod multo pauciores annos, quam systema Auburnense (quod jam anno 1823 florebat), steterit (Philadelphense systema anno 1829) (1).

Praeter hosce carceres citari juste merentur: in *Canada superiori*, carcer *Kingstowniensis*, egregie emendatus a viro excellenti POWERS; porro carcer *Richmondiensis*, in *Virginia*, cui emendando indefessam operam adhibuerunt viri egregii PARSONS ET MORGAN. Mirandum tamen, quod systema Philadelphense, cui tot impedimenta, inde a prima origine superanda erant, tam brevi tempore tot progressus fecerit, ut tuto cum altero contendere possit, cui ab initio pauciora obstabant. Haec ita vera sunt, ut non solum in plurimis Americae Septentrionalis provinciis, verum etiam in provincia Anglica Canada-Inferiori hoc systema adhibitum sit. Quod autem firmissimo argumento est, illud erit: quod instituto publice certamine, in ipsa contrarii systematis sede, Novi Eboraci, in novo carcere condendo systematis Philadelphensis periculum factum sit.

Breviter de diverso effectu, qui utroque hoc systemate obtinetur videbimus.

---

(1) Delinquentes, qui antea non occupabantur operis in carcere, secundum systema Philadelphense, quum nonnunquam in rabiem inciderent, legislatores Americani illos occupare praeferebant, praecipue legendis sacris literis.

I.) Mutuam sortis participationem communem laborem (etiamsi severe observetur silentium), carceris poenam multum sublevare non est quod dubitemus. Verum inde oritur damnum illud, quod ita impeditur, quominus captivi criminis vel delicti pravitatem et damna sentiant; et sic perveniant ad morum emendationem requisitam. Systema vero Philadelphense hoc persuasum fieri vult delinquenti, se omni auxilio orbatum, sibi et conscientiae foro relinqui. Tetrum et angens hoc silentium, imprimis nocturno tempore, nullo strepitu externo interruptum, sublevatur tamen assidua frequentia praefecti carceris, medici, ludimagistri, verbi divini ministri; tum et labore et motione sub divo sanitati optime providetur. Systema Auburnense, quamquam morum corruptelam, per communem laborem captivorum directe promovere non dicendum erit, tamen non satis deterrere ipsius poenae vi videtur. Necesse, ut captivus nunquam conditionis, in qua versatur, obliviscatur (1).

II.) Magnum emolumentum praebet etiam eo systema Philadelphense, quod solet captivos a novis delictis perpetrandis deterrere. Secundum egregios viros DE BEAUMONT ET TOCQUEVILLE (2), hoc systemate

(1) Quantum noxii contineat poenae oblivio in animis delinquentium, tempore communis laboris, praecipue si de una parte carceris in alteram transportentur, e cellulis ad laboratoria, refectoria, vestibula, sacellum, cett. demonstrat SIBLY, praefectus carceris *Bristonensis* in relatione: *first report from the select committee, etc. — to be printed* 12 *May* 1835.

(2) *Ie Partie*, chap. III, Sect. I, in fine.

delinquentium animi gravius commoventur, fiuntque illo duce, plures cives honestiores; Auburnensi vero, plures legibus obedientes.

III.) Gravi illo vitio laborare systema Auburnense, quod nullo modo impedire possit, quominus commercii inter delinquentes occasio praebeatur, facunde ostendit celeberrimus Ictus EDWARD LIVINGSTON (1),

(1) *Letter from* EDWARD LIVINGSTON *Esq. to* ROBERT VAUX, *on the advantages of the Pennsylvania system of prison discipline.* Philadelphia, 1828, pag. 8, seqq.

Non ingratum hic foret forsan, ipsum celeberrimi Icti systema afferre, quod medium inter utrumque systema poenitentiae locum occupare videtur, quodque invenitur in vita LIVINGSTONIS, a viro egregio MIGNET descripta.

»*Il inflige au criminel l'emprisonnement pour lui* »*faire expier le mal, qu'il a commis par la privation* »*de la liberté, dont il a abusé; il le place dans la soli*»*tude, pour le conduire à la réflexion; il lui permet le* »*travail, pour lui donner une occupation, qui le pré*»*serve plus-tard de l'oisiveté ou de la misère, qui mè*»*nent également au crime; il lui procure l'instruction* »*intellectuelle et morale, qui l'aidera à se bien conduire.* »*Il combine avec assez de bonheur et peut-être de sub*»*tilité la solitude et le travail, l'instruction isolée* »*avec l'instruction en commun, sans avoir besoin d'em*»*ployer la violence et sans craindre la corruption. Son* »*système est complet. Il embrasse des maisons de déten*»*tion pour les prévenus; des maisons de reforme pour* »*les condamnés, qui n'ont pas atteint l'âge de 18 ans;* »*des maisons de pénitence pour ceux, qui l'ont dé*»*passé; enfin des maisons de refuge et de travail pour* »*les condamnés libérés. Il y a ainsi des lieux d'attente,* »*où l'on est gardé à la disposition de la loi, des hospi*»*ces pénaux, où l'on est guéri en son nom, des établis-*

plurima afferens, nitentia experientia, quibus probatur exquisita sagacitas et malitia, quo mutum commercium inter homines, praecipue inter delinquentes detentos, vel praesentibus etiam custodibus, continuetur. Confirmat hanc observationem testimonium medici carceris Newgate MACKMURDO, facundos digitorum nutus inter delinquentes huc referentis.

IV.) Ex relatione delegatorum a potestate legifera Novi Eboraci, anno 1827, pro inquirendis systematis Auburnensis mendis, patet: non sufficere castigationis remedia custodibus, durante communi delinquentium labore, competentia: verberibus rebellibus statim applicatis; hoc arbitrium custodibus concessum abusui campum patefacere, et hac animorum mutua exasperatione tempus teri, alioquin impensum in morum illorum emendationem.

V.) Inter vera emolumenta systematis Philadelphensis etiam pertinet, quod cellae delinquentibus destinatae satis amplae sint, ut etiam aegrotantes possint in ipsis curari. Qua re vitatur noxium illud eorum emendationi, quod morbum praetexentes, non opus sit illos transportare ad nosocomium, pravorum conciliorum inter delinquentes frequens theatrum; quodque in solitaria cella inclusi cum divini verbi ministro, facilius animum a prava via deflectere possint.

» semente de convalescence, qui servent à passer du régime » de la maladie au régime de la santé morale, de la » prison dans la société."

EDWARD LIVINGSTON par MIGNET.

VI.) Perfectam separationem non solum sexus, sed etiam *ejusdem delicti sociorum* consequi poterit systema Philadelphense. Cujus rei memorabile exemplum afferunt LUCAS et MARQUET-VASSELOT, ejusdem delicti socium, qui eadem pariete separatus ab altero socio, hunc per 30 annos latuerat.

VII.) Eo vero maxime praestat systema Philadelphense Auburnensi, quod carcere liberato facilius via pateat, ut ad civium societatem admittatur, salva fama; nam Auburnensi systemate non potest impediri, quominus delinquentes se invicem cognoscant et sic recidivi fiant ad nova delicta.

Malitia aut odium impellere poterit corruptiorem captivum liberatum, ut delinquentem emendatum privet in posterum civium existimatione referendo: sese utrumque carcerem partitos fuisse. Systema Philadelphense, hoc periculum metuens, impedire studet, quominus captivi socii sese visant et sic (juvante ipsa locorum distantia, in vasta America Septentrionali), liberatus delinquens, emendatus, in longinquam provinciam proficiscendo, facile vitae quaestum inventurus est. Operae pretium, ad hanc sententiam fulciendam, est conferre memorabile exemplum quod excitant de BEAUMONT et TOCQUEVILLE ll. (1).

Antequam transeamus ad utriusque systematis damna aut emolumenta ponderanda, addamus praecedentibus pulcherrimam *solitarii carceris poenae* descriptionem,

---

(1) N°. VIII, »*Enquête sur le pénitencier de Philadelphie.*"

quae inveniuntur in ducis LAROCHEFOUCAULD-LIANCOURT (1) scriptis.

»*L'homme comdamné au* solitary confinement, *est* »*dans une espèce de cellule de huit pieds sur six et de* »*neuf d'élévation. Cette cellule, toujours au premier* »*ou au second étage d'un bâtiment voûté et isolé du* »*reste de la prison, est échauffé par un poêle placé* »*dans le corridor qui la précède. Le prisonnier, fermé* »*par deux portes de fer en grille, reçoit le bénéfice de* »*la chaleur, sans pouvoir mésuser du feu dont il ne* »*peut approcher. La chambre déjà éclairée par le* »*jour du corridor, l'est encore plus directement par une* »*fenêtre qui y est ouverte. Des commodités lavées par* »*une eau courante à volonté sont dans chacune. Les* »*précautions pour la salubrité sont entières; les cellules* »*sont, ainsi que le reste de la prison, blanchies deux* »*fois par an. La, séparé de tous les autres, livré à* »*la solitude, aux réflexions et aux regrets, il n'a de* »*communication avec personne; il ne voit même le* »*porteclefs qu'une fois par jour, quand celui-ci lui ap-* »*porte une espèce de pudding grossier, fait avec de la* »*farine de maïs et de mélasse* (2). *Ce n'est qu'après*

---

(1) Sur les Prisons de Philadelphie.

(2) De praestantia simplicis alimoniae audiatur idem scriptor, quum alio loco dicit:

» *Ce changement absolu de nourriture renouvelant en-* » *tièrement son sang, l'adoucissant, le rafraîchissant,* » *amollit son ame et la dispose à la douceur, qui amène* » *le repentir. Les inspecteurs ont une grande foi à la* » *sûreté de cette observation, et comptent le régime dié-* » *tétique des prisonniers au nombre des moyens qui ai-*

»un certain temps qu'il obtient la permission de lire, »s'il la demande, ou de s'occuper aux espèces de tra»vaux compatibles avec son étroite réclusion. Jamais, »à moins de maladie, il ne sort même dans le corridor; »tant que dure cet étroit emprisonnement.

»Le dimanche les prisonniers assistent à un sermon »et à une lecture faite par un ministre que son zèle y »amène, n'importe à quelle secte il appartienne. La »liberté de la religion est entière comme dans le reste »de la Pennsylvanie.

»Cependant comme presque tous les habitans de l'état »sont chrétiens, la lecture est la Bible. Les sermons »sont plus moraux *que* religieux, *et appliqués autant »que possible à la situation de ceux à qui ils sont »prêchés*(1). *Tous les prisonniers, de quelque classe*

» dont le plus efficacement à leur amendement. Ce système » est aussi celui de tous les fondateurs de religions, qui » commandent les jeûnes et les abstinences.''

Prudenter tamen exigua alimonia captivis erit distribuenda. Non rara enim sunt exempla captivorum, abnormi famis specie laborantium, quam Graeci *βούλιμον* appellabant. Cujus rei triste citat exemplum MARONCELLI in nota ad Cap. 64 operis SILVII PELLICONIS: miserandum ANTONIO VILLA et OROBONI, quorum alter alimoniam obtinebat nequaquam ingenti corporis speciei congruam, unde inediae succubuit in carcere. ANTONIO OROBONI eadem ex causa mortuus est.

(1) Sic optime sensim sensimque sensus religiosus in captivorum animis excolitur. Hac in re praeferendae sunt orationes, morum emendationem et singulorum captivorum indolem spectantes orationibus, mysteria sublimiora religionis christianae tractantibus. Simplex igitur, verum simul austera sit verbi divini ministri carceris oratio, uti recte animad-

»*et de quelque sexe qu'ils soient, y sont amenés, à* »*ceux près du* solitary confinement. *Aucune de ces* »*classes ne se mêle à une autre. Le soir pareil sermon.* »*On donne des livres à ceux qui en desirent, et ils* »*sont d'espèce à leur rappeler leurs devoirs. Le gou*»*verneur ne refuse jamais la grâce à la demande des in*»*specteurs; le meurtrier même peut esperer de l'obtenir,* »*mais jamais sans que sa pétition soit signée des pa*»*rens et amis de la victime de son crime.*"

Addamus nonnullas animadversiones de utroque systemate. Ex relatione egregiorum virorum MONDELET et NEILSON, delegatorum a parte Canadae inferioris inquirendae institutioni carcerum in civitatibus unitis patet: utrumque systema assequi finem sibi popositum diversis modis: *defendendae civitatis a malis quae minatur ei maleficus*. Systemate Auburnensi adminicula addiscunt perfectiora delinquentes, quibus exercendis, postea vitam sustentare commodius possint. Sytemat Philadelphense profundius in ipsam malefici conscientiam penetrare studet, magisque vide-

---

vertit BARO DE GÉRANDO, in egregia relatione, 1819 tradita: *sur les moyens de réformer les bagnes*. Porro legendis aptis libris, praeter literas sacras, quales egregios multos tulit nostra aetas. Citari hic merentur viri egregii W. H. SURINGAR, *Godsdienstig en sedekundig handboek voor gevangenen, geschikt voor zon- en feestdagen.* Amst. 1828; libelli a societate pro emendandis captivis Neerlandica editi nomine: *Kleine schriften van godsdienstigen en sedekundigen inhoud, voor gevangenen;* inprimis aureus libellus a L. P. DE JUSSIEU conscriptus: *Antoine et Maurice* (vernacule etiam versus).

[redacted]

tur ipsum hominem emendare velle, quam instituere eum in artificiorum exercendorum dexteritate. Praeterea gravi, ut mihi videtur vitio laborat etiam systema Auburnense, quod occasio non adimatur delinquentiqus sese invicem visendi, durante communi labore, unde facile commercium, moribus minus corruptorum fatale oritur.

Praeferenda videtur mitior Systematis Philadelphensis indoles, quod cogitet sibi delinquentis animum aegrotantem, qui sic igitur benignis remediis veluti a medico subministrandis, ad perfectam sanationem pervenire debet.

Primo adspectu nimis mitis visa est nonnullis poena carceris solitarii, nec satis deterrere obstinatos et corruptos delinquentes, sed haec opinio valde erronea sententia nititur. Nihil enim terribilius videtur et revera est, secundum nonnullorum delinquentium ipsa verba, quam solitudo, ei homini, quem conscientiae acerbus stimulus pungit (1). Accedit, quod

(1) Probe sensisse vero ipsos Americanos legumlatores, quam dura esset solitarii carceris poena, probatur eo, quod statuerunt: Praefectum carceris temporis poenae constituti remissionem pro lubitu dare posse, ea tamen conditione, ut tempus, sententia praescriptum, durante detentione impleatur. Haec firmantur celeberrimi medici ESQUIROL testimonio, referentis, se ex ipsis delinquentibus compertum habuisse, hanc gravissimam poenam esse, quamquam pro tempore fuit irrogata. Memorabile exemplum hujus sententiae erit sine dubio, quod refert LIANCOURT, hisce verbis: »*Quand en* 1788 *parut la loi, qui abolissait la peine* »*de mort, et qui ordonnait le nouveau régime des pri-*

arcta hac inclusione privetur maleficus corruptior adminiculis, quae necessaria videntur, secundum nonnullorum sagacium virorum observationem, ad confirmandam animi atrocitatem, quae praeter ipsos potus spirituosos, praecipue consistunt non interrupto commercio aeque depravatorum hominum, pudorem et poenitentiam surgentes pravis suasionibus et mordacibus cavillationibus reprimentium. Observatum est, delinquentis animum versari in quodam sopore, qui si de uno ad alterum delictum clam adscendere possit, magis magisque accrescit.

Legum vindictae vero traditus, eo terribilius hoc sopore excutitur maleficus, praecipue in solitudine carceris. Haec terribilis malefico solitudo, noxia etiam captivo generoso (uti supra de SILVIO PELLICONE vidimus) si nimis arcta est et in longum tempus distrahitur, nonnullis delinquentibus, qui sui ipsius delicti dedecus sincere senserunt, praeferenda videtur horrendo cum veteranis maleficis commercio, incredibili modo angenti propensum ad poenitentiam delinquentem (1).

» *sons, deux prisonniers arrêtés pour crimes que l'ancien* » *code pénal punissait de mort et qui, par le nouveau,* » *ne l'étaient que de détention, préférèrent être jugés selon* » *l'ancienne loi, plutot que de se soumettre au* solitary » confinement; *l'un d'eux fut acquitté, l'autre subit la* » *mort,*" (Alia aeque memorabilia exempla inveniuntur apud LUCAS, op. l. pag. 315 et 316, et notae ibidem).

(1) Cujus rei praeclarum exemplum affertur in relatione: *Report of the inspectors of prisons of Great Britain* (117), IV, *Scotland*, pag. 55, juvenis delinquens, qui antea in

[redacted]

Institutio systematis Philadelphensis initio, pro tempore sumtuosior, egregie compensatur illustri ejus effectu in emendationem delinquentium. Graves querelas suas citaverunt artifices, in illis provinciis, ubi systema Auburnense viget, de damno, quod sentiunt in artificio exercendo, cujus causam tribuunt captivis eadem artificia in carceribus exercentibus. Humanior porro systematis Philadelphensis indoles, verbera, durante communi labore, a custodibus captivis rebellibus applicata excludens, nullomodo vindictae speciem referens, captivo roganti occupationem et legendi copiam offerens; otium preferenti captivo, tamen ut aegrotanti, aeque atque ceteris alimenta necessaria praebens: haec omnia supra nominatis delegatis tantopere placuerunt, ut auctores fierent illorum regiminis rectoribus, quod systema Philadelphensi praeferretur in Canada-Inferiori.

Quamvis multi, etiam extra Americam, propensiores sint ad systema Philadelphense, tamen non desunt, qui ipsi menda nonnulla objectent, quae breviter considerabimus.

I.) Objectant quod nonnulli anni ferales fuerint in carceribus Philadelphiae, et multi captivi in alienationem mentis inciderint. Verum multa tribuenda erunt mirae coeli temperiei inconstantiae in civitati-

carcere politico una cum aliis delinquentibus versatus, transportaretur ad carcerem solitarium Glascuensem, ubi animus ad poenitentiam propensus solitudine recreabatur. Cujus salutarem effectum sentiebat: *» because he knew it was more » for his good.''*

bus unitis; vacillanti plerumque Americanorum valetudini. Quod ad mente captos, illorum praesentia in carceribus tribuenda erit defectui aptarum aedium ad eos continendos (quod mendum aliis in Europa carceribus aeque juste invenitur (1).

II.) Objectatio haec parum nos morabit: quod nempe effectus systematis Philadelphensis tam diverso gravamine premat captivorum animos, neque omnium indoli quadret; jam supra vidimus, quemadmodum haec lacuna expletur frequentia et dulci solamine verbi divini ministri. Quidquid sit, systema Philadelphense melius consequetur solitudine emendationem delinquentis, quam fatale commercium, quod systemate Auburnensi vitari nequit.

III.) Quod systema Philadelphense destruat sensum socialem, qui labore silenti conservetur. Nonne vero praestabit commercium non interruptum cum paucis exquisitis viris, virtutum stimulum exercentibus in animo captivi, quam continuus adspectus depravatorum hominum, qui quamvis sileant, tamen vitiorum stigma fronti inustum gerunt?

IV.) *Quod facilior sit observatio multorum delin-*

---

(1) Ex relatione carceris Philadelphiae medici FRANKLIN BACHE, patet: 26 damnatos, qui anno 1835 carcere liberabantur, tempore detentionis per 5 et 6 annos praeterlapso, meliore valetudinis conditione usos fuisse, quam cum carcerem intrarent. Porro refert DUCPÉTIAUX: sese in carcere Glascuensi *Bridewell*, eodem anno, inter 320 detentos, ne *unum* quidem aegrotantem invenisse (hujus carceris enim institutio ad normam carceris Philadelphensis directa est).

[redacted]

quentium uno loco inclusorum, quam singulorum in cellulis separatorum. Sed majoris sane pretii erit diligentia, quam ostendit ille, qui solitario carcere inclusus, hanc exercet ad depellendos terrores, quibus animus prosternitur, quam illorum qui omnia, praeter emendationem cogitantes, speciosam diligentiam et laboris ardorem in conspectu custodum ostendunt, quorum remissio statim verberibus punitur!

V.) Summúm sane emolumentum praebet systema Philadelphense eo, quod plane impugnare videtur *criminum nefandorum* species, quorum ceteroquin carcer nonnunquam frequens est theatrum. Quorum primi (diutius in relatione morari angemus!) nunquam in carcere *solitario* praebetur occasio. Alterum impedire student arcta, simul secreta captivi in cellula observatione (1).

VI.) Nulli momenti est sequens objectatio, post ea quae jam de egregia institutione religiosa in carcere

(1) De hisce vitiis eximie queritur vir egregius VILLERMÉ, in op. laud. Haec vitia secundum illum, impugnari forsan poterunt, constituendo, in iis regionibus, ubi nondum viget carceris solitarii poena, principio: ne unquam duo captivi eodem cubili utantur. »*In multis*, persequitur »homo frugi, *Franciae carceribus aliae etiam turpitudi-* »*nes rabiunt* (quae nominare vetat pudor) *et inter viros* »*et inter mulieres. Satis eheu! in nonnullis carceribus* »*copia fit libidinum impune exercendarum. Uliari* »(*Oleron*) *inter alia, per virorum conclave aditus est ad* »*gynaeceum, per januam benigne cedentem!*" (op. l. pag. 103). Quamobrem non solum ut sexus, sed ut etiam malefici secundum delicti gravitatem separentur enixe suadet scriptor.

Philadelphensi retulimus, eorum, qui emendationem morum prohiberi carcere solitario contendant.

VII.) Quod ad *majores sumtus*, primo adspectu singulae cellae aedificatae in usum multorum delinquentium sumtuosiores videntur, quam mansiones nocturnae (Schlafhöhlen apud JULIUM) Auburnenses, quae nonnisi cubiculis inserviunt. Hi vero sumtus compensantur in systemate Philadelphensi, carente multis aliis locis, quibus utitur alterum systema: laboratoriis, refectoriis, nosocomio, sacello, ludis. Carcer Philadelphiae, cui exstruendo 15 annos impenderunt, multis architecturae calamistris oneratus tanquam norma adhiberi non poterit, quia ceteri carceres in eandem formam condendi forsan postea iis carere poterunt (1).

Quod ad reditus annuos, hi possunt uberrimum emolumentorum afferre fontem captivis, in civitate Novi Eboraci varia artificia exercentibus. Artificia vero, aequale lucrum parantia nequaquam systemate Philadelphensi excluduntur. Ars sutoria, sartoria, textoria, nendi, aliaque artificia vitae sedentariae magis quadrantia, aeque bene in carceribus Philadelphensibus exerceri poterunt.

Brevi huic relationi (2) finem imponamus, communi-

---

(1) Neque in Europa omnes carceres comparari potesunt cum *Millbank*, prope Londinum; aut cum carcere Gandavensi; aut cum eo, qui audit: *prison modèle de la rue Roquette* Parisiis, aut cum carcere Glasguensi.

(2) Cf praeter DUCPÉTIAUX laudatum, ad totum hunc locum JULIUS in Epistola ad virum egregium CRAWFORD, praefec-

[redacted]

canda egregii viri JULII opinione, quam invenimus in opere supra laudato, a DUCPETIAUX conscripto. Haec sunt ejus verba Gallice versa:.

»*J'avais d'abord pensé que les conséquences inévita- »bles de l'emprisonnement solitaire étaient l'altération »de la santé, l'abrutissement, puis peu à peu une »crainte dégradante, un marasme et un désespoir affli- »geants; que si les condamnés parvenaient à surmonter »cet état, ils devaient éprouver un ressentiment, nour- »rir une pensée de vengeance contre la société qui les »exciterait à de nouveaux crimes. Je voyais avec tant »de peine l'édification des bâtiments de la prison, que »j'aurais cru faire une bonne action en les détruisant »de mes mains et en les renversant pierre par pierre; »mais le système était à peine en activité depuis six »mois, que je fus invité, par le secrétaire du comité »d'inspection de la prison, à visiter un condamné alle- »mand pour l'interroger sur les causes de son crime; »je me rendis, bien qu'avec répugnance, au désir de »l'inspecteur, qui pensait qu'en parlant à ce détenu »dans sa langue maternelle, on arriverait plus facile-*

---

tum generalem (*Inspecteur-Generaal*) carceribus in Magna Britannia (quam vernacule cum patria nostra communicavit egregius W. H. WARNSINCK, in Ephemeridibus: *Vaderlandsche Letteroefeningen voor* 1837. — LUCAS, *système pénal* etc. pag. 297—329. — KAPPLER, *Handbuch der Literatur des Criminalrechts.* — L. G. FOURICHS, *over de gevangenissen in Nederland*, pag. 97—115. — G. A. KLEINSCHROD, *über die Americanische Criminalverfassung* (in libro: *Archiv des Criminalrechts*, Bnd. II, S. 10—28).

» *ment au chemin de son coeur. Depuis, j'ai été appelé à différentes reprises tant par l'inspecteur que par le directeur ou les surveillants de l'établissement, et après avoir eu ainsi l'occasion d'entretenir beaucoup de condamnés et de mieux apprécier la règle de la maison ainsi que ses résultats, mon opinion a entièrement changé. — Aujourd'hui je considère cette règle comme l'exécution d'une pensée qui, pratiquée par une philanthropie saine et persévérante, deviendra une mesure dont l'heureuse influence se fera sentir sur le caractère moral et l'état général de la société.*"

Haec igitur sufficiant de reorum custodia in America Septentrionali. Tandem pauca addamus de reorum custodia in PATRIA NOSTRA. Qua in re ita versari nobis proposuimus, ut abstineamus et a nudis laudibus et a nudis vitupurationibus, menda ant virtutes hujus rei stilo exercitatiori relinquentes. Nobis incumbit, salvo honore patrio, simplicem relationem hac de re conscribere.

Primis temporibus reorum custodiam singulare studium effecisse legumlatorum, nusquam invenimus (1). Quod ad modum, quo captivi tractabantur, hic sine dubio ad temporis indolem respiciendum videtur. Medii aevi tenebras etiam obtegisse jus criminale in patria nostra non est quod dubitemus. Itaque non abs re videretur ablegare lectorem ad ea quae de jure criminali, tempore medii aevi, jam hujus opusculi Parte II attulimus. Singularia exempla tractationis

(1) Nisi forsan in singularum urbium topographiis.

[redacted]

nonnullorum insignium captivorum, tempore *ducum et comitum*, sunt velut totidem exceptiones, quarum auctoritas vacillans stabilibus conjecturis ansam nequaquam praebet (1). Verum tamen non rara et hac aetate fuerunt exempla legumlatorum principum, strictae justitiae vindicum et oppressae innocentiae (2). Majorem vim nacta est jurisprudentia criminalis in patria nostra, regnante CAROLO V, per constitutionem criminalem (de cujus auctoritate in Hollandia nonnulli tamen dubitaverunt, saltem quod ad Groningam et Frisiam). De cujus constitutionis indole vidimus supra Parte II, uti et de iis, quae in illa de reorum custodia inveniuntur (3). Plura jam hac de re inveniuntur in ordinationibus (ordinancien) PHILIPPI II, quas die 5 et 9 Julii A. 1570 promulgavit dux Albanus (4). Quas ordinationes si percurramus, multa

(1) Satis memorabile exemplum indignae tractationis illustris captivi erit sine dubio infortunium comitis FLORENTII V, saevo infamium conjuratorum furori expositi.

(2) Quem justitiae sensum egregie ostendit comes *Hollandiae* GUILIELMUS III, *Bonus* cognominatus, puniendo capitis poena magistratum (Baljuw) quemdam, qui rusticum vi privaverat divitiarum fonte, vacca, uberrimum praetermodum lac praebente. Desperabundus rusticus adiit comitem GUILIELMUM, qui magistratum, damno restituto, ipsa manu ad supplicium duxit.

(3) Cf. et Consult. DE MAREES VAN SWINDEREN, ll. p. 60 et notae. — Consult. DE GAIFFIER, de *initiis et incrementis juris criminalis in Belgio*, pag. 110-122.

(4) Cf. DE MAREES VAN SWINDEREN ll. pag. 61 in notis. — Cf. et BAVIUS VOORDA, de *crimineele ordonnantien van Koning Philips van Spanje enz.*, pag. 18-22; pag. 26, 40; — DE GAIFFIER, op. l. pag. 122 finem.

egregia inveniuntur: de conficiendis commentariis de reorum ordine, et puniendis illos officialibus, qui in reorum custodia ipsis commissa negligenter versentur, (loco 32—39); de carceribus visitandis; qua in re providere debebant officiales munditiei, alimoniae captivorum (1) de avaritia custodum reprimenda; de personis aptissimis huic muneri, cett. Legatur inprimis ordinatio, quae audit: *ordinancie, regel ende instructie op tstuck van de cypiers enz.* (2). Proxime de reorum custodia hisce accedunt, quae inveniuntur sub nomine: *Instructie en de Ordonnantie voor de Cipier van de voorpoorte* (3), anno 1610 (19 Nov.) data, quae multa

(1) »*Sullen ook besien, of die vangenissen goet zijn, ende »die gevangenen wel bewaart, ende of sy hun behoefte »hebben van Spyse, Drank, ende Stro, volgende onse »tax ende Ordonnantien: of die voorsz. vangenissen niet »geinfecteert of stinkende en zijn, ende diergelijke saa»ken, alsoo die vangenissen zijn tot bewaarnisse, ende »niet tot straffingen.*" cett.

(2) Apud VOORDA, II. pag. 51—54. De utriusque ordinationis laudibus audiatur VOORDA, *Inleiding*, cit. pag. 19, sqq. Referri operae pretium est hac de re judicium celeberrimi PESTEL in *Commentariis*:

»*In utraque lege multa salubriter et humaniter, non»nulla avare, alia nimis imperiose et violenter, quae»dam admodum severe et superstitiose sancita sunt, »haud pauca omissa aut minus definite constituta, quae »maximi in his judiciis momenti sunt.*"

(3) Quae invenitur in op. *Groot Placaet-Boeck*, Boeck V, Tit. 7, I Deel, pag. 1508 seqq. et pag. 1513 seqq. — Cf. et op. *Nederlandsch Placaat- en rechtskundig Woordenboek*, in voce: *Cipier*. — Huc etiam pertinent mandata, a Curia Hollandiae, annis 1616, 1632 data.

praeclara continent. Longum est omnia hic singulatim recensere. Quod ad tractationem detentorum in carcere hoc tempore, patet ex illustrium nonnullorum politicorum captivorum exemplis, hanc satis mitem fuisse. OLDENBARNEVELDIO enim licuit, praeter alia, frui in carcere, fidelis famuli, amicorum et suorum officiis. Variis adminiculis, ad captivitatis tempus fallendum animumque corroborandum frui licebat GROTIO et HOGERBEETSIO in castello *Loevestein*; CORNELIO DE WITT, in carcere Hagano. Laudes egregias merebatur inprimis Saec. XVIII reorum custodia, in patria nostra et in Belgio Austriaco (ubi egregius carcer Gandavensis prae ceteris eminebat). Grave sine dubio est hominis frugi et veracissimi JOANNIS HOWARDI testimonium; quamvis nonnunquam caute fides habenda sit peregrinorum de exteris terris relationibus, qui saepe opinione praejudicata ducti, falso interpretantur aliarum civitatum instituta. Hoc vitio caret plane excellentis et sinceri illius viri opus. Praecipue laudavit institutionem carceris Amstelodamensis, *Spinhuis* appellati (1).

Reliquas, quae sequuntur carcerum institutiones vitiis non caruisse, patet ex scriptis nostratium. Multa etiam temporis conditioni erant tribuenda. Nam quum patria nostra obediret peregrino regimini, etiam in institutis patriis tolerare debebat peregrina menda aut pauciora emolumenta. Humanissimus LUDOVICUS NAPOLEON, multis in partibus subditorum felicitatem pro-

(1) Cf. HOWARD, in op. laud. pag. 119—134.

curare studens, pauca de poena carceris cavit in codice poenali, 1809 decreto (1).

Post nonnullas mutationes, reorum custodia tandem novo cum vigore tractata fuit a dilectissimo rege nostro, praecipue in Decreto 4 Nov. anno 1821, cujus praecipuam indolem et institutiones hic referemus. I.) Cavit de *partitione carcerum* in tres classes:

a.) *Aedes correctionis* (huizen van correctie).

b.) *Aedes seclusionis et castigationis* (huizen van reclusie en tuchtiging).

c.) *Aedes detentionis militaris* (huizen van militaire detentie).

Praeter hos alii loci, reorum custodiae destinati inveniuntur:

a.) *Aedes custodiae* (huizen van arrest).

b.) *Aedes justitiae* (huizen van justitie).

c.) Carceres qui dicuntur *provoosthuizen*.

d.) *Phylacae* (huizen van bewaring).

Notandum quod hoc titulo, Art. 15 egregie cautum sit de juvenibus delinquentibus (2) probe separandis a ceteris adultis delinquentibus, et sequenti Art°. provideatur liberis egenis in carcere detentorum. II.) Cautum de *alimonia* captivorum, quae simul providet

---

(1) *Crimineel Wetboek voor het Koningrijk Holland*, III Tit. cap. I. Art. 89—43.

(2) Hunc in finem exstitit carcer unice juvenibus delinquentibus destinatus Roterodami, secundum decretum regium 15 Martii 1833, N°. 108. Multa etiam contulit ad hoc egregium institutum *societas Neerlanda pro cura captivorum*. Cf. II[a] Relatio, Pag. 11 et 12.

[redacted]

illorum vestitui, cubitui, (lectibus pensilibus, *hangmatten*; et aegrotantibus lectibus *Rhumfordianis*); illustrationi carceris in illorum usum; aptae caloris distributioni in carcere (verwarming), lavacris, aegrotantium curae, cett. III.) De *operis a captivis praestandis* in carcere, pro quibus mercedes ipsis solvuntur, quarum pars collocata in arca quadam (*uitgaanskas*) ipsis, tempore detentionis praeterlapso, auxilio sit ad posteriorem vitam sustentandam. IV.) De *disciplina* observanda in carcere; quo loco simul agitur de refectoriis nomine *cantines*, quorum usus conceditur statuto modo et tempore, detentis moratioribus; de *praemiis* distribuendis sedulo captivo; de indicibus, mores emendatos vel corruptiores testantibus; de poenis, a superioribus praefectis carceris infligendis; de beneficio singulari *pistole* appellato, concesso aliquando hominibus honestioribus, ope libelli supplicis, provinciae gubernatori oblato, ut vivant suis sumtibus in separato conclavi, et excusentur ab arctiore disciplina in carcere. V.) De *carcerum administratione* procuranda a collegio quodam rectorum vel administratorum. Ad hunc locum de re carceraria (1) addita sunt varia, quibus cavetur de singulis requisitis *alimoniae*, detentis publice concessis; de praeceptis in usum collegiorum carceribus praefectorum; de praeceptis de operis ordinandis in carcere; de sumtibus quotannis in re carceraria faciundis; de mercede sin-

(1) Cf. Bijvoegsel tot het Staatsblad, XII Dl. 4 Stuk, 1825, Pag. 1—113.

gulis carcerum officialibus solvenda, quibus proxime accedunt praecepta de illorum vestitu et armis publice praebendis; de sanitatis cura; de refectoriis (cantines) ordinandis; multaque alia, quae pro brevi spatio longum est referre (2).

Finem imponamus brevi huic relationi verbo addendo de instituto salutari, patriae ornamento, quod, quamvis multa superanda inveniat, tamen generoso fine, in quem constitutum est, inflammatur ad omnina superanda et cum perseverantia, gentis nostrae virtute, persequi viam arduam ultro electam. Meritae laudes tribuendae sunt *Societati Neerlandae*, morum in carcere detentorum emendationem enixe promovere studenti. Cujus instituti origo tribuenda est egregiis conaminibus triumviratus, humanitatis decoris: W. H. SURINGAR, W. H. WARNSINCK, BZ. et intempestiva morte lugenti patriae erepti J. L. NIERSTRASZ JUNIORIS (1). Contingat, in honorem patrium, ut hisce conaminibus omnes opitulentur humanitatis fautores, quibus egregio

---

(1) Cf. quae inveniuntur l. l. pag. 83—113.

(2) Casus varios, egregiumque conaminum indicem invenies in societatis illius libellis: » *Verslagen*" uti et programmata, quae fecit haec societas, ad rem carcerariam et salutem curae commissorum promovendam et emendandam, de generosis administratoribus rei carcerariae publice praepositis, sincero ardore conatus cum egregiis societatis carcerariae membris conjungentibus, cett. De libris in usum captivorum destinatis, jam vidimus supra. Oratio hic memorari liceat egregii viri J. J. UYTWERF STERLING, habita die 8 Maji 1828, *over de noodzakelijkheid, om de zedelijke verbetering der gevangenen te bevorderen.*

exemplo hac in re praecessit Arausiaca domus. Sic talibus exemplis ducibus, operante et ardore sincero nonnullorum egregiorum scriptorum, optima quaeque hac in re, modesto silentio nonnumquam obtecta perficientium, patria nostra in posterum cum excellentissimis aliarum gentium institutis juste contendere poterit, non desciscens a majorum egregio dictamine:

„Luctor et emergo."

TANTUM.

[redacted]

THESES.

I.

In l. 8. § 9. ff. *de poenis* agitur de vinculis *temporariis*.

II.

Laudamus institutum legis Francicae, quo filiae non datur actio adversus patrem *de dote*.

III.

Paucissimi tantum sunt casus, quibus, in jure criminali, severa animadversio admitti potest.

IV.

In jus talionis non dubitamus adhibere dictamen: »*summum jus, summa injuria.*"

V.

Facimus cum CICERONE dicente (in Libro III, *de Legibus*, cap. 15): »*vi opprimi in bona causa est melius, quam malae cedere.*"

VI.

Minus recte MICHAELIS, *Mosaisch. Recht*, Tomo V, § 238 contendit: bene instructum carcerem nimis lenem poenam esse populis Orientis, quippe prae Europaeis, indolentiae aut sedentariae vitae deditis.

VII.

Carceris systema, quale viget in Pennsylvania, praestat systemati Auburnensi.

VIII.

Recte BECCARIA in libro *des délits et des peines* (in versione Gallica) dicit: *Toute peine est injuste, aussitôt qu'elle n'est pas nécessaire à la conservation du dépot de la liberté publique.*"

[redacted]

ERRATA.

Pag. 48. l. 11, pro *ἡγεμονία τοῦ δικαστηρίου* lege: *ἡγεμόνες τοῦ δεσμωτηρίου.*

[redacted]

MAY 7 - 1930